

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08241123 6





M. DE VRIES.

DE

HISTORIA POLYBII PRAGMATICA.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

HISTORIA POLYBII PRAGMATICA.

Viro Consultissimo Amplissimo
C. J. Teding van Berkhout

Th. A.

CA.

Polybius.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

HISTORIA POLYBII PRAGMATICA,

QUOD;

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS MATTHIAE SCHRANT,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

MATTHIAS DE VRIES,

HARLEMENSIS.

AD DIEM XIII DECEMBRIS MDCCCXLIII, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAIORI.



LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

MDCCCXLIII.

EX TYPOGRAPHEO H. R. DE BREUK.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

ABRAHAMO DE VRIES,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT.

SACRI MINISTERII APUD TELEIOBAPTISTAS HARLEMI
HONESTO OTIO FRUENTI,
INSTITUTI REGII NEERLANDICI SOCIO,

SUMMA SEMPER PIETATE COLENDO,

ET

PATRUO DILECTISSIMO

HIERONYMO DE VRIES,

IUR. UTR. DOCT.

CIVITATIS AMSTELODAMENSIS GRAPHIARIO,
ORDINIS LEONIS NEERLANDICI EQUITI,
INSTITUTI REGII NEERLANDICI SOCIO

SACRUM.

» Die Aufgabe des Geschichtschreibers ist die Darstellung des
» Geschehenen. Je reiner und vollständiger ihm diese gelingt,
» desto vollkommener hat er jene gelöst. Die einfache Dar-
» stellung ist zugleich die erste, unerlassliche Forderung sei-
» nes Geschäfts, und das Höchste, was er zu leisten vermag."

W. VON HUMBOLDT.

PRAEFATIO.

Triennium est, cum a Viris Clarissimis, disciplinae Literariae in Academia Groningana Professoribus, iuventuti studiosae haec quaestio posita est disceptanda:

» Ratio explicetur, quam in historia conscri-
» benda Polybius tenuit, ab ipso πραγματικὴν
» dictam; exponatur, quatenus hac ratione
» priores historicos superaverit, quatenus
» hi ipsi praeferendi sint."

Ea quaestio ut ad notitiam meam pervenit, excitavit me et argumenti gravitas et utilitatis ex assidua principum historicorum Graecorum

—

lectione redundaturae cogitatio. Itaque manus operi admovi, idque brevi, quo concessum erat, temporis spatio ad finem perductum Virorum Clar. iudicio tradidi. Quorum sententia hanc mihi attulit fortunam, ut praemium, ex lege propositum, mihi assignaretur. At hunc prosperum conaminis eventum non ex aliqua scriptionis meae praestantia esse profectum, sed ex Virorum Clar. benevolentia, qua studiis iuvenilibus favendum esse censerent, ipse nunc quidem plene intelligo. Nam quum iis, quae de Polybio commentatus eram, pro specimine uti decrevissem, quo summos in Literis honores consequerer, ea postea secundis curis retractanda esse putavi. Propterea opusculum per biennium in scrinio sepositum habui, ut deinde ad illud, tamquam ad incognitum et fere alienum, reverterer eoque modo vitia, quibus laboraret, accuratius dispicerem. Neque ulla mihi exspectatio tam vera accidit umquam. In opusculo enim e latebris reducto tot inveni reprehendenda, adeo mihi ipse non placui, ut abiiciendi consilium fortasse capturus fuissem, nisi gradus doctoralis petendi tempus adfuisset. Quod igitur unice licebat, ad opus redii idque, ut potui, emendavi. Quidquid autem nunc inde exstiterit, alii viderint; sed hoc enixe rogo lectorem, ut quae in scriptione nostra

—

aut desideret, aut minus recte posita deprehendat, ea, qua est humanitate, aut suppleat aut corrigat.

De ipso huius libelli titulo pauca habeo monenda. Fore enim praevideo, quibus mirari subeat, cur Polybianam, de qua egi, scribendae historiae rationem appellaverim, non ἀποδεικτικήν, sed πραγματικήν. Scio equidem, post ea quae disputaverunt Schweighaeuserus, Ruehsius, Lucas, Nitzschius et nuperrime Brandstaeterus, ἱστορίαν πραγματικήν a Polybio non eam fuisse dictam, quae ad docendi propositum referretur, sed hanc fere quam alii πολιτικήν nominare soleant. Ut igitur ex mente Polybii scriberem, ἀποδεικτικήν ἱστορίαν appellare debuissem. Sed aderant idoneae causae, cur altero potius nomine uterer. Hoc enim suadebant et ipsa quaestionis, quam secutus eram, verba, et eorum auctorum exemplum, quorum disputationibus mihi erat respondendum. Poteramne, qui de eadem re scriberem, diverso nomine uti? Sana ratio, credo, vetabat. Praeterea, quum rationis Pragmaticae nomen ita invaluerit, ut omnium usu sit adoptatum, ab eo discedere nolui, ne novitatis captandae studio insolentius indulsisse viderer.

Quod superest, Viri Clarissimi, quibus in hac Academia usus sum praeceptoribus egregiis, ani-

—

mo erga ipsos me esse et semper fore gratissimo sciant. Equidem, quoties reputo praeclaram, qua frui mihi contigit, institutionem, toties hoc a me agendum esse perspicio, ut nec a vitae nec a studiorum ratione indignus tot tantisque beneficiis discipulus umquam fuisse reperiar.

ARGUMENTI DISTRIBUTIO.

PARS I.

—

PARS II.

—

PARS I.

EXPLICATUR RATIO PRAGMATICA QUAM IN HISTORIA CONSCRIBENDA TENUIT POLYBIUS.

CAPUT I.

PRAEMONITA.

De historia Polybii pragmatica dicturi praemonendum breviter arbitramur cum de auctoris vita et rebus, tum de consilio quod scribentis animo obversabatur. Ad accuratam enim scriptoris cuiusque intelligentiam hoc imprimis requiritur, ut quo vixerit tempore, qua usus sit fortuna, quae fuerit indoles, quae doctrinae studia, probe cognoscatur; nec, si de ipso iudicandum est, alia ulla ad rectam aestimationem perveniri potest via, quam ut sciatur, quo consilio ad scribendum accesserit. Quod si universe valet, peculiariter valet de Polybio, cuius libri ita ex ipsius vita et animo fluxerunt, ita ipsum ubique referunt, ut si alterum ab altero separes, neutrum perspicere possis. Primum igitur vitam Polybii paucis in memoriam revocabimus.

---

§ 1.

De Polybii vita.

Polybius, Lycortae filius, Megalopolitanus, rerum sua aetate actarum pars magna fuit. Sed hac usus est infelici fortuna, quod patriam, cuius erat amantissimus, non eam haberet, quam florentem novo splendore ornaret, sed labentem, quoad fieri posset, sustentare deberet. Ipse libertatis sensu unus in paucis repletus, civium suorum libertati fuit superstes, nec aliud sibi suisque relictum habuit, nisi facinorum a maioribus praeclare gestorum memoriam cum intimo praesentium calamitatum sensu recolendam. Ex quorum tamen recordatione hunc retulit fructum eximium, ut, ab ignava inertia alienus, afflictae patriae consulere numquam desisteret, sed eam sua auctoritate ac salubri consiliorum prudentia constanter adiuvaret.

Atque hanc inter suos sustinere potuit personam adiutus et generis nobilitate et eorum, a quibus erat institutus, excellentia. Pater enim ei contigit Lycortas, vir magna in rebus gerendis peritia ac virtute insignis, et qui propter ingentia in rem publicam merita tanta apud suos gratia florebat, ut post Philopoemenem ad praeturam vocaretur. A tali patre nulla nisi liberalis institutio proficisci poterat, eiusque praeceptis ac monitis quantum filius cum ad animi cultum, tum ad rerum civilium et bellicarum scientiam profecerit, sponte apparet, cum praesertim in ipso iuvene et ingenii matura solertia inesset, et summus veri honestique amor, et flagrans laudis cupido. Egregiam hanc indolem aluit praeterea Phi-

lopoemen, Achaeorum praetor, vir magnus. Cuius disciplina et consuetudine diu frui licuit Polybio (1), cuique tam arcto grati animi vinculo erat obstrictus, ut in eius exsequiis urnam, quae defuncti cineres continebat, ipse portavisse dicatur (2). Non igitur mirum est, eximium natura iuvenem, talibus praeceptoribus usum, mature iam et belli pacisque artium factum esse peritissimum et ad res gerendas aptissimum. Qua re accidit, ut, cum per aetatem ad rem publicam accedere nondum posset, veniam annorum ei decernerent Achaei, eumque cum patre Lycorta et Arato ad Ptolemaeum Epiphanem, Aegypti regem, legatum mitterent (3). A quo tempore magis magisque auctoritate apud suos crevit, iisque, quantum maxime posset, et dicendo et agendo prodesse studuit; quod cum multis indiciis constet, tum hoc non minimum censendum est, quod auctor fuit Achaeis salubris consilii, ut in bello Romanorum cum Perseo neque hunc, neque illos iuvarent, sed sibi suisque prospicerent (4).

Mox sub Archone praetore equitum praefectus creatus est (5), et cum tanta omnium admiratione singularem rei militaris peritiam ostendit, ut ipsi

(1) Plutarchus in libro *An seni gerenda sit resp.* p. 791. Panaetii Stoici discipulum fuisse Polybium contendit Fabricius in *Bibl. Gr.* Vol. II, p. 406 extr. et 409, minus recte intellecto Suidae loco, ut ostendit Schweighaeuserus, Vol. V, p. 8 in annot. Neque hoc cum temporum ratione convenit.

(2) Plutarchus in *Philop.* p. 368.

(3) Polybius, l. XXV, c. 7.

(4) Idem, l. XXVIII, c. 6.

(5) Id. ibid.

fratres Ptolemaei eum ab Achaeis peterent equitibus suis auxiliaribus praefectum (1).

Secutus est Macedonici regni, devicto Perseo, interitus, quem exceperunt tempora Achaeorum rei publicae infestissima. Romani enim, ambigua horum studia aegre ferentes, et simul ne praeter modum quid moliri in animo haberent, metuentes, mille eorum, in quibus erat Polybius, Romam evocarunt; unde cum ceteri per Italiam dispergerentur, ipse veniam impetravit in urbe manendi. Hoc acceptum referebat Aemilii Paulli filiis, Fabio et Scipioni (2). Cum his enim, praesertim cum Scipione, viro aetatis suae facile primario, intimam amicitiae consuetudinem contraxerat, quae communi, quo flagrabant, laudis amore ac miro animorum studiorumque consensu in tantum aucta est et confirmata, ut non solum in Italiam et Graeciam, sed ulterius etiam eius rei fama spargeretur (3). Ex hac autem familiaritate duplicem Polybius retulit utilitatem; alteram, ut Scipionis benevolentia adiutus patriae suae saluti haud mediocriter prospicere posset (4); alteram, ut

---

(1) Polybius, l. XXIX, c. 10.

(2) Idem, l. XXXII, c. 9, et cf. Pausanias, l. VII, c. 10.

(3) Uti ipse ait l. XXXII, c. 9. Quo loco copiose et eleganter exponit, quomodo sua cum Scipione amicitia tam intima facta sit. Cff. de hac familiaritate loci citati apud Schweigh. Vol. V, p. 9 sq. Ceterum Polybii erga Scipionem merita quantopere a veteribus celebrarentur, testis est Pausanias, l. VIII, c. 30: *Ὅσα μὲν Πολυβίῳ παραινοῦντι ὁ Ῥωμαῖος* (Scipio) *ἐπείθετο, ἐς ὀρθὸν ἐχώρησεν αὐτῷ· ἃ δὲ οὐκ ἠκροᾶτο διδάσκοντος, γενέσθαι οἵ λέγουσιν ἁμαρτήματα.*

(4) Quod discrte testatur Plutarchus in *Praeceptis Politicis* p. 814, ubi ait: *Καρπὸν ἐκ φιλίας ἡγεμονικῆς ἔλαβε Πολύβιος*

egregia sibi compararet ad scribendam historiam adiumenta. Quum enim iam tum illud consilium meditaretur, et diligenter quaecumque huc facere possent, conquireret, amici sui favore facultatem obtinuit inspiciendi monumenta publica, foederum tabulas, libros censuales, alia, ex quibus ad veri intelligentiam et operis sui fructum mirum quantum profecit (1).

Post septendecim annorum exsilium tandem res eo cessit, ut Polybio ceterisque evocatis reditus in patriam concederetur. Ita factum est, ut rursus summam apud Achaeos auctoritatem nancisceretur, iisque et consilio et auxilio strenue adesset in ipsa patria, cuius commoda, dum Romae erat, numquam neglexerat. Sed non diu libera re publica gaudere ei contigit, quum brevi post terrarum orbis dominis Romanis aliter videretur, et Achaeorum rei publicae fatalis ille dies illuceret, qui foederis eorum vincula dissolvit, Graeciamque, Achaiae nomine, in provinciae Romanae formam redegit. Atque eo tempore de Polybii meritis ita apud omnes constabat, ut ex sententia legatorum Romanorum dignus iudicaretur, qui urbes Peloponnesi obiret, novo eas Romanorum imperio conciliaret, leges scriberet, controversias dirimeret, denique omnia ordinaret; qua in re ita se gessit, ut summam omnium benevolentiam reportaret, ac splendidis honoribus cumularetur (2). Ut enim antea, quam potuerat diutis-

---

καὶ Παναιτίος, τῇ Σκιπίωνος εὐνοίᾳ πρὸς αὐτοὺς μεγάλα τὰς πατρίδας ὠφελήσαντες εἰς εὐδαιμονίαν.

(1) Polybius, l. III. c. 26, et cf. c. 33.

(2) Idem, l. XL, c. 10, q. l. cf. Pausanias, l. VIII, c. 30.

sime, patriam labentem sustinuerat, ita nunc lapsam omni cura recreabat.

Reliquum vitae spatium Polybius in studiis literisque transegit. Ac tum quidem immensum illud historiarum opus, iam diu praeparatum et fortasse iam inchoatum, strenue elaboravit ac feliciter perfecit. Sed veri studiosissimus in eoque inquirendo religiosam curam iterum collocandam arbitratus, nulli labori pepercit, ut historiae suae fontes colligeret, et res narrandas diligenter investigaret. Quo proposito longinqua itinera suscepit, ut, locorum natura bene perspecta, militum expeditiones, castrorum positiones, cetera huius generis accuratius describeret. Africam visit, Hispaniam Galliasque lustravit; quo rectius de Hannibalis itinere trans Alpes statueret, ipse eandem viam confecit; porro Asiam minorem, Aegyptum denique adiit, ubique studiose inquirens in omnia, quae ad consilium suum pertinere iudicaret (1). Ex quibus excursibus quam amplam utilium rerum copiam retulerit, ipsius libri diserte testantur.

In patriam redux unico fere scribendi officio intentus fuisse videtur. Quo honesto otio, ac tali homine digno, senectutem oblectans et exornans, tandem circa Olymp. CLXIV (inter A. U. 632 et 638) (2), ex equo lapsus, morbum contraxit, cuius vi mox

(1) Iam ante reditum in patriam itinera fecerat, Scipionem comitatus. Ceterum de hisce Polybii expeditionibus cff. loci, quos attulit Schweigh. Vol. V, p. 11 sq., ubi simul disputatur de tempore, quo nonnullae earum factae sint.

(2) Natus erat Olymp. CXLIV vel initio Olymp. CXLV, inter A. U. 550 et 556, uti computavit Schweigh. Vol. V, p. 3 sqq.,

confectus, diem obiit supremum, aetatis annis octoginta duobus exactis (1).

Talis vir fuit Polybius, »Graecorum ultimus vere »appellandus" (2), qui, in rebus gerendis per totam vitam versatus, scientiam suam et philosophiam, qua instructus erat uberrime, ad patriae usum et communem civium salutem adhibebat; dignus ille sane, cuius statuae inscriberetur: ἐξ ἀρχῆς τε μὴ ἂν σφαλῆναι τὴν Ἑλλάδα, εἰ Πολυβίῳ τὰ πάντα ἐπείθετο, καὶ ἁμαρτοῦσῃ δι' ἐκεῖνον βοήθειαν αὐτῇ γενέσθαι μόνον (3).

§ 2.

De proposito quod erat Polybio scribenti.

Non tantum civibus suis et aequalibus rei publicae administratione et artium militarium peritia profuit Polybius, sed posteris quoque egregie consuluit, editis scriptis compluribus, rerum gravissimarum copia refertis. Ex quibus cetera nunc non memoramus, Philopoemenis vitam, commentarios tacticos, alia (4), de uno tantum eoque praeclarissimo opere

---

ubi simul refutavit Suidae errorem, qui Polybium regnante Ptolemaeo Euergeta natum esse scripsit.

(1) Lucianus in *Macrobiis*, c. 22.

(2) Verba Wyttenbachii in Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. XVII.

(3) Pausanias, l. VIII, c. 37.

(4) De Philopoemenis vita ac rebus gestis tres libros singulares scripsit, ut ipse testatur l. X, c. 24. Tum l. IX, c. 20 dicit se edidisse commentarios περὶ τὰς τάξεις. Porro eum historiam belli Numantini separatim scripsisse discimus ex Cicer. *Ad diversos*, l. V, Ep. 12; et denique a Strabone aliisque mentio fit libri

acturi, historiarum libris XL, eximio veterum literarum monumento. Quos libros si integros haberemus, quantam ex iis cum historiae, tum antiquitatis, geographiae, rei civilis ac bellicae cognitionem hauriremus, quantam praeceptorum excellentium ubertatem. At hoc nobis invidit fortuna, quae tot pretiosissimas priscae aetatis reliquias delevit. E tanto librorum, quibus Polybius historiam complexus erat, numero, non nisi quinque priores ad nos integri pervenerunt, sexti pars maior, reliquorum fragmenta, partim longiora et copiosa, partim breviora et tenuia (1). Sed, ut ut est, ea tamen pars, quam superstitem habemus, et ipsa per se magni facienda est, et totius operis indolem satis manifeste declarat. Ac de ceteris quidem eius dotibus, de fide historica et aliis, quaecumque huc pertineant, non exponemus, quod neque nostri est consilii, et a Goudoevero V. Cl. luculenter olim est explicatum (2). Neque orationis facultatem attinge-

---

Polybiani *περὶ τῆς περὶ τὸν Ἰσημερινὸν οἰκήσεως*. Sed hi libri omnes interciderunt. Ceterum de scriptis Polybii cff. veterum loci, quos attulit Schweigh. Vol. V, p. 16—28.

(1) De diversis Polybii editionibus, quae novis subinde fragmentis locupletatae sunt, abunde exposuerunt varii editores, imprimis Schweigh. in Praef. Vol. I. Nostro tempore nova accessit pars quaedam, fragmenta e Vaticanis Codd. palimpsestis in lucem protracta a Celeb. Angelo Maio, et ab ipso edita in *Nova collectione veterum scriptorum*, Vol. II. Haec postea, quam plurimis locis emendata, in patria nostra edidit Cl. I. Geel (Lugd. Bat. a. 1829), tum in Germania repetiit Ioh. Fr. Lucht (Altonae, a. 1830).

(2) *Disp. de historicis Polybii laudibus* (Trai. a. 1809). — Fidem Polybii historicam tentavit Reiskius in Praef. ad *Polybiana* (*Animadv. ad Graecos auctores*, Vol. V, p. 766 sqq.), et inter alia dicit (p. 767): »Stultitia ergo sit ab eo verum exspectare,

mus, quam acerbissime reprehendit Dionysius Halicarnassensis (1); sed id videamus, quaenam fuerit

» quem beneficiorum cum acceptorum recordatio, tum sperandorum » exspectatio, tum cura salutis suae, tum denique tot acres appositae » vigiliae, saepe aliquid auribus dare, saepe gratiae, saepe animo me» mori, saepe dissimulationi atque taciturnitati cogeret." Quod quamvis acerbius dictum sit, dubitari tamen nequit, quin ob ipsas eas causas, quas enumerat Reiskius, hic illic de fide Polybii nonnihil detrahendum sit. Constat hoc cum ex aliis recentiorum scriptis, tum ex libro Doct. Chr. Lucas (*Ueber Polybius' Darstellung des Aetolischen Bundes*. Königsberg. a. 1827), in quo acute simul et docte ostendit Polybium a partium studio erga Romanos non alienum, neque Aetolis non iniquum fuisse. Sed haec diiudicare nostrum non est. Monendum tamen existimavi, ne omnibus iis, quae in sequentibus e Polybio referenda habui, temere assentire viderer. Ibi enim quum id tantum ageretur, *qua* narrandi *ratione* utatur Polybius, non requirebatur ut explorarem, *verum*ne narret necne.

(1) In libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, c. 4 (Opp. Vol. V, p. 30 Reisk.), ubi historiam Polybianam talem esse dicit, *οἵαν οὐδεὶς ὑπομένει μέχρι κορωνίδος διελθεῖν*. Sed vereor ne severus ille criticus propter verborum minus elegantem structuram ipsas res contemserit. Iniustum sane. Fatendum est, idque nemo negabit, orationem Polybianam minus esse comtam, nec parum ab Attica castitate recedere, sed masculam tamen quandam et veluti militarem eloquentiam nemo non in Polybio miratur, quod praeclare Wyttenbachius (Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. XVII): » Polybius natus et educa» tus in libera patria, in eadem tuenda regendaque versatus, eius» dem libertati superstes, servavit civilis spiritum libertatis: qui ubi » abest, eloquentia inane quid et languidum sonat: ubi adest cum » rerum scientia, etiam sine verborum et compositionis delectu, » historiae munus explet." Ceterum Polybium hac in re defendit Is. Casaubonus (in Dedicat. suae Polyb. ed. ad Henricum IV; apud Schweigh. Vol. IX, p. XXXIV sq.) et inter alia: » Non deest," » inquit, sed non eminet in Polybio facundia; nihil vero est iniqui» us illis, qui nullam putant esse eloquentiam, nisi ubi nihil est

peculiaris illa in scribenda historia ratio, quam secutus est Polybius, quaeque, rationis pragmaticae nomine celebrata, tot varia recentiorum iudicia excitavit. Ad hanc autem bene illustrandam prius ad scribendi propositum, quod fuit auctori, attendendum est.

Ac fuit illud quidem praecipue, ut, cum plerique ante eum historici singulos populos singulatim tractavissent, ipse diversarum gentium historiam coniunctim traderet, quo facilius foret lecturis, *συνθεάσασθαι τὴν τῶν ὅλων οἰκονομίαν* (1). Qua re hoc imprimis spectabat, ut omnia illa, quae variorum populorum historia complecteretur, ad unum caput referret, civitatem Romanam; eoque modo ostenderet, qua via haec, a tam exiguis initiis profecta, incrementis sensim captis, tandem brevi temporis spatio toto fere terrarum orbe sibi subiecto, omnes reliquas civitates in unum corpus coniunxisset (2),

---

» praeter eloquentiam. " Defensorem etiam nactus est Polybius Cl. Goudoeverum l. l. p. 116 sqq. Conferantur etiam verba Vincentii Thuillierii, qui Polybium a. 1727 Francice vertit, cuiusque de memorata Dion. Hal. reprehensione non inficeta disputatio est. Cf. *Vie de Polybe*, eius versioni praefixa, p. LXVIII—LXX. Sed huius verba longiora sunt, quam quae hic describantur.

(1) Uti ait l. VIII, c. 4, quo loco historiae universalis prae particulari praestantiam laudat, qua de re cff. etiam l. II, c. 37, l. III, c. 32, l. V, c. 31, 33. Ante se autem neminem, nisi Ephorum, historiam vere *καθολικήν* conscripsisse iudicat Polybius; reliquorum enim historias, quibus ipsi auctores hoc nomen dedissent, eo esse indignas. Cf. l. V, c. 33.

(2) Factum erat hoc praesertim a suscepto bello Punico II ad subactam Graeciam, trium et quinquaginta annorum spatio. His igitur terminis Polybius opus suum definivit, ita ut ab anno primo Olymp. CXL ad tertium Olymp. CLIII (A. U. 535—587) res ge-

quod ipsa, veluti anima, regeret ac contineret. Hoc enim persuasum sibi habebat Polybius, non caeco aliquo Fortunae lusu ad illud potestatis fastigium evectos fuisse Romanos, sed sua ipsorum virtute eo pervenisse, quo et sapienti imperii forma, et consiliorum prudentia, et armorum vi, et propositi tenacitate constantes tetendissent. Quod ut ipse intelligebat, ita lectores intelligere voluit Polybius, ne rem hominum memoria inauditam ad Fatum temere referrent, sed vere explicare discerent. Quapropter non tantum universam operis sui dispositionem huic consilio accommodavit, verum etiam, quo clarius ea res perspiceretur, plurimis locis hoc se velle diserte professus est (1).

Sed iuxta hoc propositum, quod Polybius habebat in animo, aliud etiam spectabat, et ipsum a nullo antea historico agitatum. Quod etiamsi cum primario illo ita arcte cohaeret, ut alterum ex altero explicandum sit, utrumque coniunctum plenam operis Polybiani imaginem referat, tamen de hoc potissimum fusius dicemus. Propius enim ad argumentum nostrum pertinet, et ita quidem, ut tota illa ratio pragmatica, de qua agere instituimus, ex hoc veluti fonte derivanda sit.

---

stas Romanorum, Poenorum, Graecorum, Macedonum, Syrorum, Aegyptiorum reliquorumque omnium explicaret. Cf. l. IV, c. 1, 2, quo loco simul testatur, ubi ipse historiam incipiat, ibi desiisse Aratum.

(1) Inter alia l. I, c. 63, l. III, c. 1, l. VIII, c. 4, *Exc. Vatic.* (ed. Cl. I. Geel) p. 1 sq. cet. Cff. porro hac de re Doct. Lucas l. l. p. 8 sqq. et locus Niebuhrii ab eo (p. 32) laudatus; tum etiam Doct. K. W. Nitzsch, *Polybius. Zur Geschichte antiker Politik und Historiographie* (Kiliae, a. 1842), p. 85 sq.

Egregie olim dictum est, »historiam esse practi»cam quamdam philosophiam" (1). Ita enim et maximarum rerum cognitione ingenium alit, et iudicii subtilitatem acuit, et praeceptorum ubertate atque excellentia se commendat; ita quae in philosophorum scholis traduntur, ad vitae usum et communem omnium utilitatem traducit, ut et ipsa philosophia quaedam, quae in rebus agendis versetur, dici haberique mereatur. Et hoc erat illud, quod Polybius toto animo habebat infixum, hoc quod primarium historiae pretium arbitrabatur. Neque sufficere putabat, ut ex nuda rerum gestarum narratione ad eam discendi partem suo Marte pervenirent lectores, sed historici esse credebat, ut iis in sua scriptione certam viam muniret, qua tuti et sine deflectendi periculo eo adduci possent. Hoc igitur ubique spectavit, ut cum narrandi instituto coniungeret docendi provinciam, eoque modo re vera efficeret historiam vitae magistram, »futurorum ex praeteri»tis prudentissimam coniectricem" (2). Audiamus

(1) Is. Casaubonus in laud. Dedicat. p. XVI. Similiter a Vossio dicitur »philosophia exemplis constans." Cf. *Ars historica*, p. 89.

(2) Verba Wyttenbachii in Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. XVIII. Libet autem hic apponere verba Casauboni, l. l. p. XVIII: »Personam historici cum assumit Polybius, non in totum exuit »philosophi. Philosophus enim erat, sed vita, non lingua: ope»ribus, non sermonibus: rebus ipsis, non professione et inani »specie. Porro ut poetae fingendo, historici narrando, sic phi»losophi monendo et praecipiendo vitam hominum corrigere pro»positum habent. Iure igitur suo est usus, cum diversa munera »in unum coniungens, qua narrando, qua monendo simul humano »generi prodesse est conatus." Cff. etiam sqq. Quo iure autem Polybius has historici et philosophi partes ita coniunxerit, in altera disputationis nostrae parte erit quaerendum.

ipsum, quum dicit: *Διόπερ ἡμεῖς οὐχ οὕτω τῆς τέρψεως στοχαζόμενοι τῶν ἀναγνωσομένων, ὡς τῆς ὠφελείας τῶν προσχόντων, τἄλλα παρέντες, ἐπὶ τοῦτο τὸ μέρος κατηνέχθημεν* (1). Non oblectationem et tamquam a seriis relaxationem legentibus praestare volebat, sed potius *κτῆμα ἐς ἀεί* iis impertiri, praeclararum rerum memorationem *μετ' ἐπιστάσεως*, quam ad optima quaeque et publice et privatim strenue peragenda haberent praeceptricem unam omnium efficacissimam. Fatendum enim est, *μηδεμίαν ἑτοιμοτέραν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν, τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης*, et adeo, *ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν· ἐναργεστάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν* (2).

Quo magis autem appareat, quam persuasum sibi haberet Polybius, rerum praeteritarum cognitionem ad res praesentes gerendas esse necessariam, operae pretium est inspicere classicum locum, ubi sic disputat: *"Ενιοι δὲ τῶν ἀκρίτως τὰ τοιαῦτα θεωμένων τάχα ἂν φήσαιεν, ἡμᾶς οὐκ ἀναγκαίως ἐπὶ πλεῖον ἐξακριβοῦν τοὺς ὑπὲρ τῶν τοιούτων λόγους. Ἐγὼ δ', εἰ μέν τις ὑπείληφε πρὸς πᾶσαν περίστασιν αὐτάρκης ὑπάρχειν, καλὴν μέν, οὐκ ἀναγκαίαν δ' ἴσως, φήσαιμ' ἂν εἶναι τὴν τῶν προγεγονότων ἐπιστήμην. Εἰ δὲ μηδεὶς ἄν, μήτε περὶ τῶν κατ' ἰδίαν, μήτε περὶ τῶν κοινῶν, τολμήσαι τοῦτ' εἰπεῖν, ἄνθρω-*

(1) L. IX, c. 2.

(2) L. I, c. 1. Hanc autem sententiam pluribus etiam locis enuntiavit, ut passim videbimus.

πος ὤν· διὰ τὸ, κἂν κατὰ τὸ παρὸν εὐτυχῇ, τήν γε περὶ τοῦ μέλλοντος ἐλπίδα μηδένα τῶν νοῦν ἐχόντων ποτ᾽ ἂν εὐλόγως βεβαιώσασθαι· οὐ μόνον καλὴν, ἔτι δὲ μᾶλλον ἀναγκαίαν εἶναί φημι διὰ ταῦτα τὴν τῶν παρεληλυθότων ἐπίγνωσιν (1). Qua sententia deinde latius explicata, luculentissimum edidit propositi sui indicium. Fuse enim et diserte exposuit de ea utilitate, quam fore sperabat ut ex historia sua caperent lecturi. ,Sic et alio loco, postquam se explicaturum esse dixit, quomodo orbis terrarum imperium administraverint Romani, clarum inde fore ait τοῖς μὲν νῦν οὖσι, πότερα φευκτὴν, ἢ τοὐναντίον αἱρετὴν εἶναι συμβαίνει τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν· τοῖς δ᾽ ἐπιγενομένοις, πότερα ἐπαινετὴν καὶ ζηλωτὴν, ἢ ψεκτὴν γεγονέναι νομιστέον τὴν ἀρχὴν αὐτῶν. Et tum sic pergit: τὸ γὰρ ὠφέλιμον τῆς ἡμετέρας ἱστορίας, πρός τε τὸ παρὸν, καὶ πρὸς τὸ μέλλον, ἐν τούτῳ πλεῖστον κείσεται τῷ μέρει (2). Hoc igitur unice spectabat; ut et rerum gerendarum praecepta ex historia colligerent historiae studiosi, et acute iudicare discerent prudenterque statuere.

Ut magistratuum institutioni, ita privatorum quoque saluti ubique prospiciendum sibi censebat Polybius. Quapropter lectores subinde tamquam in media via remoratur, eaque ipsis ostendit, quae ad suum fructum redigere debeant. Atque hoc non minus iucundum quam utile iis fore sperabat. Τίς γὰρ, inquit, οὕτως ἐστὶν ἀπειοικῶς πρὸς τὰ καλὰ καὶ σπουδαῖα τῶν ἔργων, ὃς οὐκ ἂν βουληθείη μικρὸν ἐπιμελέστερον ἐπιστῆσαι περὶ τῶν τοιούτων, ὑπὲρ ὧν

---

(1) L. III, c. 31.

(2) L. III, c. 4. Cf. h. l. Cl. Goudoever, l. l. p. 92 sqq.

ἅπαξ ἀκούσας, ἐπιστήμων ἔσται πράγματος ἑνὸς τῶν ἀξίων λόγου καὶ γνώσεως (1); Aut quis non sentit, καλλίστην παιδείαν ἡγητέον πρὸς ἀληθινὸν βίον, τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας περιγιγνομένην ἐμπειρίαν; μόνη γὰρ αὕτη χωρὶς βλάβης, ἐπὶ παντὸς καιροῦ καὶ περιστάσεως, κριτὰς ἀληθινοὺς ἀποτελεῖ τοῦ βελτίονος (2). Neque hoc Polybii consilium, ut communi hominum usui inserviret, et rebus gerendis optimam daret ducem simul atque institutricem experientiam, hoc igitur non mirum accidere potest in eo viro, cuius tota fere vita versata fuit in re publica administranda, inque militia toleranda, quique adeo, quam esset ad agendum promptus, quantumque illud studium in aliis laudaret, non uno loco indicavit. Cuius viri personae hoc optime conveniebat, ut, quum ad scribendum se accingeret, traderet τοῖς ἐπιγιγνομένοις ὡσανεὶ τύπους ἐκτιθεμένους, quorum contemplatione possent κατὰ τὰς ὁμοίας περιστάσεις τὰ μὲν αἱρετὰ διώκειν, τὰ δὲ φευκτὰ φεύγειν ἀληθινῶς (3). Ideo autem usus est digressionibus istis, ut appellari solent (λόγος διεξοδικός, ἐπιμετρῶν, ἐπεκδιδάσκων), quae proprie pragmaticae sive apodicticae historiae indolem constituunt, iamque igitur nobis accuratius erunt considerandae.

(1) L. VI, c. 26.
(2) L. I, c. 35. Q. l. cf. l. II, c. 61.
(3) L. XXX, c. 6.

CAPUT II.

DE RATIONE QUA SCRIBENDI PROPOSITO SATISFECIT POLYBIUS.

In explicanda ratione pragmatica, qua suae scribendi causae et consilio satisfaciendum putavit Polybius, tria sunt attendenda. Primum enim ubique rerum narrandarum causas exposuit, effectus et consequentia addidit; tum nusquam fere non iudicium suum interposuit, lectoribus veluti digito ostendens, quid male actum esset, quid bene, quid temere, quid prudenter; denique, quid posteris vitandum sit, quid imitandum, indicaturus, historiam implevit praeceptis et adhortationibus, quae vel ad prudentiam civilem et politicam spectant, vel ad disciplinam militarem, vel ad communem hominum, quam vocat, διόρθωσιν. Rursus autem alia monita ad singularum civitatium salutem referuntur. De singulis separatim dicemus.

§ 1.

Causas rerum et effectus explicat Polybius.

Ad res, sive publice, sive privatim, bene gerendas nihil magis requiritur, quam ut diligenter expendatur, quid quamque rem secuturum sit, ex

quo appareat, quid et qua ratione agere iubeat prudentia. Quod si quis recte coniicere et statuere velit, accurata rerum praeteritarum observatione et cognitione opus est. Neque id solum tenendum est, quid factum sit et quo modo, sed etiam quaenam fuerit rei agendae causa, quisnam eventus actam exceperit. Hoc enim neglecto, ne ipsae quidem res intelligi plene poterunt. Ex quo sequitur, unicuique, qui historiae operam det eiusque veros fructus colligere cupiat, ad hanc imprimis partem enixo studio esse attendendum. Audiamus ipsum Polybium. *Προστεθείσης τῆς αἰτίας*, inquit, *ἔγκαρπος ἡ τῆς ἱστορίας γίνεται χρῆσις· καὶ γὰρ τῶν ὁμοίων ἐπὶ τοὺς οἰκείους μεταφερομένων καιροὺς, ἀφορμαὶ γίνονται καὶ προλήψεις εἰς τὸ προϊδέσθαι τὸ μέλλον, καὶ ποτὲ μὲν εὐλαβηθῆναι, ποτὲ δὲ μιμουμένον τὰ προγεγονότα θαῤῥαλεώτερον ἐγχειρεῖν τοῖς ἐπιφερομένοις* (1). Et hanc causarum cognoscendarum necessitatem alio loco confirmat medicorum exemplo: *τί γὰρ ὄφελος ἰατροῦ κάμνουσιν ἀγνοοῦντος τὰς αἰτίας τῶν περὶ τὰ σώματα διαθέσεων; τί δ' ἀνδρὸς πραγματικοῦ, μὴ δυναμένου συλλογίζεσθαι, πῶς καὶ διὰ τί καὶ πόθεν ἕκαστα τῶν πραγμάτων τὰς ἀφορμὰς εἴληφεν;* Nam ut medicus, qui morbi causas et originem non accurate perspexerit, nullo modo salutem laborantibus poterit afferre, ita quoque ὁ *πραγματικὸς* nihil sana ratione perficere poterit, sine diligenti causarum consideratione. *Διόπερ οὐδὲν οὕτω φυλακτέον καὶ ζητητέον, ὡς τὰς αἰτίας ἑκάστου τῶν συμβαινόντων· ἐπειδὴ φύεται μὲν ἐκ τῶν τυχόντων πολλάκις τὰ μέγιστα*

---

(1) *Excerpta Vaticana* (ed. Cl. I. Geel) p. 25.

τῶν πραγμάτων, ἰᾶσθαι δὲ ῥᾷστόν ἐστι παντὸς τὰς πρώτας ἐπιβολὰς καὶ διαλήψεις (1).

Neque minus ad iudicium bene instituendum causarum explorationem requiri censebat Polybius, sine qua οὔτ' ἐλεεῖν εὐλόγως, οὔτ' ὀργίζεσθαι καθηκόντως δυνατὸν, ἐπ' οὐδενὶ τῶν συμβαινόντων (2). In quavis enim re finem iudicii non ab ipsis, quae factae sint, rebus pendere, sed situm esse ἐν ταῖς αἰτίαις καὶ προαιρέσεσι τῶν πραττόντων, καὶ ταῖς τούτων διαφοραῖς (3).

At non tantum persuasum sibi habebat, quam utile sit rerum narrandarum causas habere perspectas, verum eas quoque in historiae scriptione diserte explicare boni auctoris esse arbitrabatur. Quum enim de communi hominum utilitate ageretur, nihil, quod huc facere posset, negligendum esse ducebat. Testatur hoc ipse in loco illo celebratissimo, qui unus omnium optime eius de hoc argumento sententiam declarat. Ἱστορίας γὰρ, inquit, ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος· τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται· καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν (4). Quod idem brevius alibi dicit: τὰ γὰρ τέλη τῶν πράξεων ψυχαγωγεῖ μόνον τοὺς ἀκούοντας, αἱ δὲ πρόσθεν διαλήψεις τῶν ἐπιβαλλομένων ἐξεταζόμεναι δεόντως ὠφελοῦσι τοὺς φιλομαθοῦντας (5).

(1) L. III, c. 7.
(2) L. II, c. 56.
(3) Ibid. et cf. l. III, c. 32, l. V, c. 21, cet.
(4) L. III, c. 31.
(5) *Exc. Vatic.* p. 13.

Neque in causis explicandis temere versari oportere historicum censebat Polybius, sed eas, quantum fieri posset, diligenter et accurate investigare, nec ab iis quaerendis inveniendi difficultate absterreri. Quod enim multi fecerant, ut, rerum causis nullo studio indagatis, ad Fortunam Deorumve arbitrium omnia nude referrent, hoc in nostrum adeo non cadebat, ut nihil historici persona indignius iudicaret. *Δῆλον γάρ*, ait, *ὡς τύχην μὲν αἰτίαν λέγειν, οὐδαμῶς ἂν εἴη πρέπον· φαῦλον γάρ· αἰτίαν δὲ μᾶλλον δεῖ ζητεῖν* (1). Huiusmodi invocationes Deorum affirmat esse ignavas. *Οἱ γὰρ μὴ δυνάμενοι τοὺς καιροὺς, μηδὲ τὰς αἰτίας καὶ διαθέσεις ἑκάστων ἀκριβῶς συνθεωρεῖν, ἢ διὰ φαυλότητα φύσεως, ἢ δι' ἀπειρίαν καὶ ῥαθυμίαν, εἰς θεοὺς καὶ τύχας ἀναφέρουσι τὰς αἰτίας τῶν δι' ἀγχίνοιαν ἐκ λογισμοῦ καὶ προνοίας ἐπιτελουμένων* (2). Quodsi tamen res ita sit, ut eius causae ne divinari quidem probabiliter possint, tum demum licere inquit *ἐπὶ τὸ θεῖον ποιεῖσθαι τὴν ἀναφοράν* (3). Et hanc sententiam compluribus locis suo exemplo confirmavit, indicatis illarum rerum causis, quarum reperiri posse omnes ante ipsum negaverant auctores.

Sed, dicat aliquis, hoc omne Polybio cum prioribus historicis erat commune, quorum nullus umquam dubitavit, quin recta causarum significatio necessarium esset scribenti officium. Esto, statuerint idem de rei utilitate, sed ratio, qua usi sunt ad eam praestandam, a ratione Polybiana toto coelo

---

(1) L. II, c. 38.
(2) L. X, c. 5.
(3) Uti loquitur in *Exc. Vatic.* p. 105.

distat. Illi rerum causas ante scribendum quaerebant, repertas nuda narratione exhibebant, at Polybius intra hos limites minime se continuit. Docendi enim munere simul cum historici persona suscepto, singula ita exponenda putabat, ut, quibus argumentis ad ea pervenisset, a legentibus intelligeretur. Sic enim eos ad iudicii exercitationem et ad res humanas cognoscendas optime institui posse existimabat. Quapropter ita in hoc negotio se gessit, ut de rerum causis dedita opera disputaret, aliorum sententias examinaret, suam, argumentis et exemplis allatis, defenderet. Quod quam late pateat, age, uno loco inspecto, videamus.

Aggressus belli Punici II originem enarrare, nonnullos scripsisse ait hanc eius causam fuisse, quod Saguntum Carthaginienses obsedissent, et contra foedera Iberum fluvium essent transgressi (1). At illud, inquit, non fuit belli causa, sed initium. Bene enim distinguendum est inter *causam*, *praetextum* et *principium*, et levitatis arguendi sunt illi, qui haec diversa temere confundant. *Ἐγὼ δὲ παντὸς ἀρχὰς μὲν εἶναι φημὶ, τὰς πρώτας ἐπιβολὰς καὶ πράξεις τῶν ἤδη κεκριμένων· αἰτίας δὲ, τὰς προκαθηγουμένας τῶν κρίσεων καὶ διαλήψεων.* Quod quo melius intelligatur, exemplum apponere libet belli, quod Persis intulit Alexander. Cuius causam si quis fuisse contenderet Macedonis in Asiam transitum, ridicule contenderet. Vera enim huius belli causa haec fuit, quod et Graeci illi, qui cum Xenophonte ex Asia redierant, ingentem huius regionis partem infestis armis transeuntes, neminem repererant e tanto bar-

(1) Leguntur haec l. III, c. 6 sqq.

barorum numero, qui ipsis vi resistere auderet; et postea Agesilaus, Asiam invadens, Persas aeque imbelles erat expertus. Ex quo fonte Philippus barbarorum ignavia cognita, suorum vero fortitudinem et bellandi peritiam satis spectatam habens, ob oculos sibi posuit insignem imperii et gloriae accessionem, quam ex tali expeditione reportaturus esset, eaque spe excitatus bellum suscepit. Praetextum vero hunc excogitavit, velle se iniurias ulcisci, quas olim Persae Graecis intulissent. Belli autem a Philippo decreti initium duxit Alexander, facto in Asiam transitu.

Altero etiam exemplo hic usus est Polybius, bello a Romanis adversus Antiochum gesto, cuius quae fuerit causa, qui praetextus, quod principium, non minus copiose ostendit. Neque vel haec omnia ita sufficere iudicavit, ut iam ipse ad veras belli Punici causas explicandas posset transire, sed antea alterius etiam scriptoris opinionem refellendam putavit. Exposuit igitur, quid Fabius Pictor, historicus Romanus, de re praesenti tradidisset (1). Hic enim discordiae, quae inter cives suos et Carthaginienses exarserat, praecipuam causam esse dixerat, Asdrubalis immoderatam potentiae cupiditatem. Qui cum Poenorum civitatem uni sibi parere voluisset, repugnantibus principibus in re publica viris, deinde, in Hispaniam profectus, omnia pro libitu gessit, nulla senatus Carthaginiensis ratione habita. Eandem superbiam postea quum concepisset Hannibal, socius eius et successor, hunc tandem, spreto optimorum civium consilio et auctoritate, suo arbitrio

(1) Haec et sequentia leguntur l. l. c. 8 sqq.

arma intulisse Romanis, et hos, capta Sagunto, a Carthaginiensibus petiisse, aut arma susciperent, aut traderent ipsis Hannibalem. Haec Fabius; quae Polybius minime probat. Nam quid (sic contra disputat) movere poterat Poenos, ut eundem, quem libertatis suae oppressorem scirent, tanto studio servare conarentur? Credibile profecto non est, illos propter huius unius salutem ad armorum discrimen fuisse venturos, quod quin gravissima quaeque ipsis minaretur, non erat dubitandum.

His ita contra Fabii sententiam allatis, tandem Polybius eo pervenit, ut ipse alias belli causas enarret. Tres autem fuisse existimat. Ac primo quidem loco infestum Hamilcaris animum, qui quum in eo bello, quod de Sicilia gesserat, se a Romanis non victum putaret, iamdudum novas res fuisset molitus, nisi mercenariorum seditio Carthaginem serio occupavisset. Deinde, quum Poeni coacti essent novum Romanis pendere tributum, eo infestius odium suscepit, et efficere studuit, ut in Hispania propugnaculum contra Romanos haberet. Atque haec altera belli causa fuit, cui deinde tertia accessit, Punicorum armorum in Hispania prosper successus, quo freti victrices hucusque Romanorum copias contemnere assuefacti sunt. Et licet ipse Hamilcar decem annos ante bellum exortum vita defunctus sit, in eius tamen filio Hannibale idem ingenium remansit, idem studium, ita ut ad bellum Punicum II commovendum plurimum contulisse Hamilcar dicendus sit.

Apparet ex hoc loco, cuius non nisi summam delineavi, qua ratione in rerum causis tradendis usus sit Polybius. Historiae enim adiunxit disputationes,

quibus lectores ad rem plenius intelligendam instituere cupiebat. Nec, quum tali tamque gravi consilio ad scribendum accessisset, eam rem obiter aut paucis verbis sibi tractandam sumsit, sed singula ita fuse explicuit, ut nihil indictum relinqueret, sedulo cavens ne errandi periculo legentes obnoxii essent. Quo factum est, ut in medio narrationis cursu isti, ut sic dicam, commentarii satis saepe prolixi occurrant.

Sed ne de totius libri indole ex unico exemplo temere statuere videar, operae pretium est, alios quosdam locos afferre, ex quibus pateat, Polybium non semel aut raro in istiusmodi disceptationes exspatiari, sed proprium habere hunc interpretandi morem, quo tantum non semper usus sit.

Inter res historiae Polybianae maxime memorabiles, insignem locum occupat bellum illud, quod cum Perseo, Macedoniae rege, gesserunt Romani, unde his haud mediocre imperio incrementum accessit, Perseus regno et libertate privatus est. De cuius belli causis multa, inquit, falsa et inconsiderata nonnulli tradiderant scriptores (1). Quum enim Abrupolin, Sapaeorum regem, in populi Romani fidem acceptum, imperio spoliasset Perseus, deinde Dolopiam invasisset et Delphos usque penetrasset, iram Romanorum in eum excitatam esse aiebant, ex eaque bellum exarsisse. At sic statuentes misere rem turbare Polybio videbantur. Non enim haec omnia causas bellandi exstitisse censebat, sed ipsa illa consilia, quibus usus esset Perseus, ut, quod diu fovisset, rei cum Romanis armorum vi decernendae

(1) Tota haec de belli Persici causis disputatio legitur in *Exc. Vatic.* p. 58 sqq. Pertinet autem ad excerpta c l. XXII.

ansam daret. Nec minus perperam alii historici scripserant, insidias Eumeni, Pergameno regi, a Perseo structas, legatorumque e Boeotia caedem, causas fuisse, quibus Macedones bello cum Romanis essent impliciti. Haec enim, ut ait Polybius, belli iam suscepti primordia fuerant, non causae suscipiendi.

Iam si quis quaerat, quidnam tandem tam gravem discordiam tamque infestum bellum commoverit, id perspicuum sane est ac simplex. Ut enim Philippi, Amyntae filii, propositum expeditionis adversus barbaros tentandae exceperat filius Alexander, et strenue erat exsecutus; ita quoque patris sui consilia retinuerat Perseus. Nam quum posterior ille Philippus iamdudum cogitasset de armis Romae inferendis, eoque consilio omnia studiose comparasset, in defuncti locum succedens filius eadem moliebatur et tandem, tempus adesse ratus, ad ea efficienda accessit et eo, quo dictum est, modo rem aggressus est. Alia huius belli causa neque quaeri debet, neque inveniri potest.

De causis duorum bellorum, quae fuerunt gravissima, disputantem Polybium vidimus. Alia, ne longi simus, omittimus, hoc tantum monentes, ea facillimo negotio posse cumulari. Eodem enim modo copiose admodum explicatur, cur Romani transitum in Illyriam fecerint (1), et incolas armis petierint (2); ita causae belli, ab Achaeis et

---

(1) L. II, c. 2.

(2) Copiosissima haec est causarum expositio, l. l. c. 2—11, cum praesertim ipsius belli narratio duobus tantum capitibus tota contineatur.

Philippo, Macedoniae rege, contra Aetolos ac Lacedaemonios gesti, diligenter traduntur (1); ita, unde Byzantios inter et Rhodios orta discordia sit (2), quid Romanos commoverit ad arma Aetolis (3), rursusque Dalmatis (4) inferenda, enarratur; ita militum mercenariorum a Carthaginiensibus defectus vehementissimaque seditio causarum rationibus explanatur (5), et cuncta omnino bella, quae operis Polybiani ambitus complectitur, ex suo quodque fonte simili ratione derivantur. Sed misso hoc armorum strepitu, qui ubique in historia resonat, de aliis rebus diversi argumenti videamus. Polybii enim cura tam late ad omnia pertinet, ut nullam fere rem narrandam suscipiat, cuius non gerendae rationes de industria explicet, nullam fere describendam, cui non aliquem suum commentarium adiiciat.

Illustris locus est (6), ubi, exposito nefario facinore exsulum Cynaethensium, patriae proditorum, de causis disseritur, quibus factum esset, ut morum feritate tam longe a ceteris Arcadibus diversi essent Cynaethenses. Nam quum tota Arcadum gens, ob morum humanitatem ac singularem religionis sanctitatem, optima fama floreret, Cynaethenses contra, una Arcadum pars, reliquos omnes Graecos crudelitate ac scelere immane quantum superabant. Cuius rei causa consideratione digna est.

---

(1) L. IV, c. 3—6.
(2) Ibid. c. 47.
(3) L. XVIII, c. 22.
(4) L. XXXII, c. 19.
(5) L. I, c. 66.
(6) Legitur hicce excursus l. IV, c. 20 sqq.

Et erat quidem, ex sententia Polybii, haec, quod, quam artem cuncti Arcades ab antiquissimis inde temporibus prae ceteris coluerant, musicam, hanc isti soli turpiter neglexissent. Haec enim ars, ut universo generi humano utilis, ita Arcadibus maiorem in modum salutaris est, imo necessaria. Neque audiendus Ephorus, qui, » vocem effu» tiens minime ipso dignam, (1)" contenderat » musi» cam ad fraudem et deceptionem inter homines in» troductam fuisse." Non temere Arcades, aut ignava lascivia ducti, divinam hanc artem omnibus civitatis suae institutis immiscuerant, ut a pueris et voce et instrumentis canere discerent, et saltum cantui adiungere; sed salubri ita egerant consilio, ut mitigarent civium animos, in quos frigidus et tristis huius regionis aer noxiam vim exercebat. Nam ut forma et colore, sic moribus etiam homines eo maiorem in modum inter se differunt, quo diverso magis coelo utantur; nec igitur fieri poterat, quin gravis ista et aspera Arcadici coeli temperies duriores efficeret incolas et ad ferocitatem pronos. Quocirca sapienti instituto civibus suis illas artes, quae mores emolliunt nec feros esse sinunt, fideliter discendas tradiderant, ut » durum illud atque ingratum animi robur » cultura morum mansuefacerent." Tanto autem studio ab iis musica colebatur, ut eius imperitum esse turpe ac nefas haberent. At Cynaethenses, neglecta salutari hac arte, qua tamen ipsi, tristissimo totius Arcadiae coelo utentes, omnium maxime indigebant, » ad extremum usque eo sunt efferati, ut neque ma» iora, neque frequentiora summae impietatis scelera

(1) *Οὐδαμῶς ἁρμόζοντα λόγον αὐτῷ ῥίψας.* l. l.

»in ulla Graecarum urbium exstiterint." Quo factum est, ut universis Arcadibus odio et execrationi essent; ex quibus Mantinenses rem ita graviter tulerunt, ut Cynaethensibus ex ipsorum regione egressis, sacrificia peragerent, urbemque et agros publice lustrarent, ne scelestorum hominum vestigiis polluti existimarentur.

Erunt fortasse, quibus mira haec Polybii disputatio, nec satis valida animi efferati causa e musices neglectu repeti videatur. Equidem quum cogito, quod recte viri docti monuerunt (1), explicanda haec esse e veterum institutis, in quos singularem vim exerceret illa ars, cui incredibili studio dediti essent, haec bene et congruenter naturae dicta esse facile mihi persuadeo. At miror, historicum istiusmodi excursum in media rerum serie interposuisse, qui alio loco melius possit placere.

Non praetereunda hic est alia satis longa digressio, pars libri illius sexti, quem »omnibus principibus, ducibus et politicis non legendum, sed ad »verbum ediscendum" commendavit olim Casaubonus (2). Tot enim continet utilia praecepta, tot copiosas de variis rebus civilibus disquisitiones, ex quibus posteri tamquam e fonte perenni possint proficere. Sed occurrit in eo libro locus aliquis imprimis memorabilis, qui inscribi solet: περὶ διαφόρων πολιτειῶν (3). De quo argumento haec lectoribus pollicetur Polybius: ὅσον ἀνήκειν ὑπολαμβά-

---

(1) Cf. Cl. Goudoever l. l. p. 39 sq. et Cl. Den Tex, *Disp. de vi musices ad excolendum hominem*, p. 101 sqq.

(2) In Dedicat. supra laud. p. XLII.

(3) C. 3 sqq.

νομεν αὐτοῦ πρὸς τὴν πραγματικὴν ἱστορίαν, καὶ τὴν κοινὴν ἐπίνοιαν, τοῦτο πειρασόμεθα κεφαλαιωδῶς διελθεῖν. Et accurate quidem eo loco disputat de variis imperii formis, de mutuo earum discrimine, et de ratione, qua secundum ipsas naturae leges aliud genus in aliud soleat converti. Porro omnium earum mutationum, quibus obnoxiae sunt res publicae, non tantum indolem describit, sed causas etiam explicat, consequentia demonstrat. Ex qua disputatione et summa apparet harum rerum peritia, quae fuit Polybio, et luce clarius intelligitur, hoc eum consilio in scribenda historia ductum fuisse, ut lectores ad prudentiam civilem et scientiam politicam institueret. Et profecto, hoc docendi munus egregie commissum erat Polybio, qui ita ipse in his studiis erat versatus, ita mutabiles civitatium casus studiose observaverat, ut iam hac aetate in re publica Romàna exitii aliquando secuturi semina cerneret, et futuram eius ruinam verissimo augurio praediceret (1).

Sed omnes locos recensere, qui ad rem nostram faciunt, infinitum est. Brevi absolvamus. Ubique Polybius eorum, quae narrat, causas accurate tradit, deque iis, ubicumque requiri existimat, uberius disserit (2). Neque affert » perfectas tantum et » principales causas, sed adiuvantes quoque et proxi- » mas " (3), ne quid omnino indictum relinquatur,

---

(1) L. VI, c. 9, et cf. c. 57.

(2) Cff. inter alia l. I, c. 37, l. IV, c. 11, 32, 40 sq., l. IX, c. 3, l. XXVII, c. 13, l. XXVIII, c. 15 cet.

(3) Uti loquitur Cicero, *de Fato*, c. 18. Causas autem adiuvantes συνεργά appellat Polybius, l. I, c. 81.

quo ad interiorem rerum intelligentiam adduci possint lectores. Opus autem non est ut addam, etiam qui fuerint rerum effectus, a Polybio diligenter esse expositum. Nam quod alterius rei effectus est, id alterius est causa, et ita arcte haec duo inter se cohaerent, ut alterum sine altero cogitare nequeas. Ubi igitur de causis agebatur, ibi de effectibus erat sermo, nec requiritur ut de postremis separatam mentionem faciamus.

Ad causarum explicationem aliquatenus pertinere dici possunt orationes fictae, quibus hic illic usus est Polybius. In iis enim scriptori egregia adest occasio copiosa disceptatione ostendendi, quod cuiusque rei gestae consilium fuerit, quae mens, quae causa. Si orator inducitur, qui populo rem aliquam persuadeat, ex rationibus ab eo allatis causae saepe cognoscuntur, quibus effectum est ut ea res decreta et acta sit. Si diversarum partium legatos coram senatu de iure certantes Polybius exhibet, quid efficacius ad contraria adversariorum studia explicanda, quid commodius ad disserendum libere de eorum principiis, causis et effectibus? Eumenis orationem, ut hac teste utar, ad dissuadendam Romanis pacem cum Antiocho habitam, quicumque hoc consilio legerit, nae ille causas tenet, cur Antiochi spem Romani fefellerint (1). Idem dictum sit de omnibus illis orationibus, in quibus historico, qui, quid ipse de cuiusque rei origine et causa sentiat, exponere velit, latissimus patet, in quo exspatietur, campus. Quamquam monendum est, Polybium non

---

(1) Legitur haec Eumenis oratio l. XXI, c. 8.

ita saepe istiusmodi conciones adhibuisse (1): sive quod hoc tempora iam minus ferebant; sive quod aliorum orationes, nisi de earum fide certis documentis constaret, fingere verebatur; sive tandem, quod ex sua ipse persona dicere malebat, ne, aliena specie usus, ingenii lusui nimium indulsisse videretur, eoque modo suae ipse auctoritati afferret detrimentum.

§ 2.

Iudicium suum apponit Polybius.

Praeclara est sententia a veterum nescio quo prolata, illos demum perfectos esse viros, *τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν μίξαι καὶ κεράσαι τῇ φιλοσοφίᾳ* (2). Nam ut inutilis homo est, qui in sterili meditatione perpetuo defixus, ab agendo abstineat, ita qui ad res gerendas accedat philosophiae ignarus, is rudis plane est et facile errat. *Πειρατέον οὖν εἰς δύναμιν καὶ τὰ κοινὰ πράττειν, καὶ τῆς φιλοσοφίας ἀντιλαμβάνεσθαι κατὰ τὸ παρεῖκον τῶν καιρῶν* (3).

---

(1) Loci hi sunt: l. III, c. 63, 64, 108 sq., 111, l. V, c. 104, l. IX, c. 28 sqq., 32 sqq., l. XI, c. 5 sqq., 28 sq., l. XV, c. 6 sqq., 10, 11, l. XVII, c. 3, l. XXI, c. 8, l. XXII, c. 2 sqq., 5 sq., 13, l. XXVI, c. 2, l. XXXI, c. 7. Quando vero et quo modo his orationibus uti oportere historicum censeat, ipse enuntiavit in *Exc. Vatic.* p. 35 sq. Qui locus, post Borgerum repertus, addendus erit palmariae eius commentationi *de fictis in historia orationibus*, et quidem ad p. 111.

(2) In libro pseudo-Plutarcheo *περὶ παίδων ἀγωγῆς*, c. 10.

(3) Ibid.

Poteratne scribi aliquid, quod plenius et accuratius referret mentem Polybianam? Aut fuit aliquid, quod ita ille et vita et scriptis expressit? Qui quum in rerum usu per longam annorum seriem versatus, omnem suam scientiam eo convertisset, ut civibus prodesset quam maxime, tandem, historiam scribendam aggressus, hoc ubique spectavit, ut salubrem illam philosophiae et facultatis civilis coniunctionem commendaret, incitaretque lectores, ut per illam ad hanc pervenire studerent.

Quantopere autem hac ipsa in re primarium historiae pretium poneret Polybius, ex supra dictis intelligi partim iam potest. Sed magis etiam hoc apparebit, explicato peculiari illo iudicandi more, in quo consistit praecipua historiae pragmaticae pars. Nam quum ea, qua politici indigent, philosophia haurienda sit ex assidua rerum observatione μετ' ἐπιστάσεως, hoc est, ut in iis immoreris et singula attente expendas, non poterat Polybius, quin hoc per suam scriptionem praestare conaretur. Initio igitur ducto a rerum causis sedulo exponendis, et sic optima ad rectam intelligentiam via munita, superstruxit aliud, quod propius et efficacius ad practicam illam philosophiam ducturum sperabat. Iudicium enim suum de rebus narratis apposuit, et tamquam censor aliquis ubique pronuntiavit, quid bene actum sibi videretur, quid male, quid prudenter, quid temere, ut sic ostenderet studiosis, quid in simili causa imitandum esset, quid fugiendum. Etiamsi hoc iudicandi institutum amplos saepe excursus postularet, his tamen abstinere, pro eo, quo flagrabat, docendi ardore, minime licitum sibi ducebat. Uno ipsius testimonio defungemur. Postquam enim narravit,

legatos a Romanis Carthaginem esse missos, cum iisque Poenos de iure disceptavisse, haec ait: *Ἡμῖν δ' ἀναγκαῖον δοκεῖ, τὸ μὴ παραλιπεῖν ἄσκεπτον τοῦτο τὸ μέρος· ἵνα μήτε, οἷς καθήκει καὶ διαφέρει τὸ σαφῶς εἰδέναι τὴν ἐν τούτοις ἀκρίβειαν, παραπαίωσι τῆς ἀληθείας ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις διαβουλίοις· μήθ' οἱ φιλομαθοῦντες περὶ τούτων ἀστοχῶσι, συμπλανώμενοι ταῖς ἀγνοίαις καὶ φιλοτιμίαις τῶν συγγραφέων* (1). Neque enim *ἐξ αὐτῶν τῶν κατορθωμάτων, ἢ καὶ τῶν ἐλαττωμάτων, ἱκανὴν ἐνδέχεται ποιήσασθαι τὴν διάληψιν ὑπὲρ τῶν ψεκτῶν ἢ τοὐναντίον ἐπαινετῶν ἀνδρῶν καὶ πολιτευμάτων* (2). Quapropter innumeris paene locis testatur, se hanc vel illam disquisitionem necessariam duxisse *χάριν τῆς τῶν φιλομαθούντων ἐπανορθώσεως*. Neque fere ulla res memoratu dignior in historia Polybiana occurrit, quin de ea iudicium suum, modo brevius, modo fusius, exposuerit, saepe ita fuse, ut non tantum argumenta afferat, quibus suam sententiam tueatur, aliorum contrariam evincat, sed saepe etiam illustrandi causa unum alterumque exemplum apponat. Quae omnia quo melius intelligantur, inspiciamus nonnullas earum digressionum, quibus frequenter admodum usus est.

Incido in disputationem de copiis mercenariis, quam narrationi intexuit Polybius, de seditione conductitiorum Afrorum adversus Carthaginienses expositurus (3). Qua in re divagatus est et alias ob causas, et quia *τοὺς χρωμένους μισθοφορικαῖς δυνάμεσι, τίνα δεῖ προορᾶσθαι καὶ φυλάττεσθαι μακρόθεν, ἐναργέ-*

(1) L. III, c. 21.
(2) L. III, c. 4, et cf. c. 118 in fine.
(3) L. I, c. 65 sqq.

σταί ἄν τις ἐκ τῆς τότε περιστάσεως συνθεωρήσειε· πρὸς δὲ τούτοις, τί διαφέρει, καὶ κατὰ πόσον, ἤθη συμμικτὰ καὶ βάρβαρα τῶν ἐν παιδείαις καὶ νόμοις καὶ πολιτικοῖς ἔθεσιν ἐκτεθραμμένων. Habebant enim Carthaginienses immensum militum mercenariorum numerum, ex omnibus regionibus collectum, quorum ope in multis et gravioribus adeo negotiis utebantur. At improbat tale institutum Polybius. Nam si quando isti, a recta ratione alienati, in tumultum aut seditionem ruerint, nullo pacto mulceri aut reprimi possunt. *Οὐ γὰρ οἷον ἀνθρωπίνῃ χρῆσθαι κακίᾳ συμβαίνει τὰς τοιαύτας δυνάμεις, ὅταν ἅπαξ εἰς ὀργὴν καὶ διαβολὴν ἐμπέσωσι πρός τινας· ἀλλ' ἀποθηριοῦσθαι τὸ τελευταῖον, καὶ παραστατικὴν λαμβάνειν διάθεσιν.* Quod ipsum experti sunt Carthaginienses. Mercenariorum enim copiae, diversis dialectis utentes, ab Hannone compellari omnes non poterant, in interpretibus nullum erat praesidium, in ducibus minoribus fides nulla. Quo factum est, ut ingens ista turba hominum, effrenata rabie furentium, neque in concionem colligi posset, neque alia ratione placari, nisi armorum vi et cruenta utrimque strage. Imprudenter itaque egerant Carthaginienses, qui, tanto conductitiorum numero in unum locum congregato, ipsi huius belli sibi fuissent auctores, cum praesertim copias istas irritavissent, *παραιρούμενοι μὲν τῶν ἄλλων πάντων τῶν καρπῶν τοὺς ἡμίσεις· διπλασίους δὲ ταῖς πόλεσι τοὺς φόρους ἢ πρὶν ἐπιτάττοντες· συγγνώμην δὲ τοῖς ἀπόροις ἢ συμπεριφορὰν οὐδ' ἡντινοῦν ἐπ' οὐδενὶ τῶν πραττομένων διδόντες.* In alia etiam re haud leviter peccaverant. Tantam enim hominum vim in otium et remissionem laxaverant, *ὅπερ ἀφυέστατον ὑπάρχει*

ξενικαῖς δυνάμεσι, καὶ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, ἀρχηγὸν καὶ μόνον αἴτιον γίνεται στάσεως. Perversa igitur haec et inconsiderata Poenorum fuerant consilia, digna sane, de quibus posteri admonerentur, ut rectius res ordinarent, et constanter hoc sibi ponerent ob oculos: ὡς οὐδέποτε δεῖ πρὸς τὸ παρὸν μόνον, ἔτι δὲ μᾶλλον πρὸς τὸ μέλλον ἀποβλέπειν ἀεὶ τοὺς ὀρθῶς βουλευομένους.

De copiis mercenariis alio loco (1) agens Polybius sic statuit, illas, quae sub tyrannis mereantur, fortius pugnare solere, quam eas, quas liberae civitates conduxerint. Ut enim harum civitatium ingenuos milites, pro aris focisque certantes, serviles tyrannorum copias fortitudine facile superare, ita contra earundem mercenarios iis plerumque cedere debere, qui a tyrannorum partibus stent. Nam cum a belli eventu utrorumque fortuna pendeat, id inter eos differre, quod libera civitas post victoriam conducto milite non amplius indigeat, tyrannis vero, ὅσῳ μειζόνων ἐφίεται, τοσούτῳ πλειόνων προσδεῖται μισθοφόρων, quandoquidem ἡ μονάρχων ἀσφάλεια τὸ παράπαν ἐν τῇ τῶν ξένων εὐνοίᾳ κεῖται καὶ δυνάμει.

Belli Punici II causas explicantem Polybium supra vidimus. Age, nunc audiamus disputantem de iustis ambarum partium rationibus in hoc bello committendo. Quae disceptatio ut bene instituatur, praemittit Polybius tamquam introductionem aliquam, in qua omnia foedera, quae umquam Romanos inter et Carthaginienses icta essent, recenset et suo commentario illustrat. Qua in re Philini historici errores non uno loco refellit (2).

(1) L. XI, c. 13.
(2) L. III, c. 22—28.

Iam huic fundamento superstruitur disquisitio, quo iure bellum susceperint Poeni (1). Ac primum quidem sic iudicat Polybius, Romanos iniuste et contra foedera coegisse adversarios, ut Sardinia cederent, novumque ipsis tributum solverent. Carthaginienses contra promissis non steterant. Nam cum in eo foedere, quod de Sicilia convenerat, scriptum esset, ὑπάρχειν τοῖς ἀμφοτέρων συμμάχοις τὴν παρ' ἑκατέρων ἀσφάλειαν, haec verba sine dubio ad illos quoque socios referenda erant, quos utrique post ictum foedus adscivissent. Nullo iure hoc negaverant Carthaginienses, et male egerant, capta deletaque Sagunto. Cui accedebat alterius etiam foederis violatio, ab Asdrubale initi, quod vetabat Poenos Iberum fluvium bellandi causa transire. Ex quibus sequitur, si quis Sagunti excidium belli causam dicat, hunc concludere oportere bellum iniuste a Poenis fuisse susceptum. Saguntini enim in Romanorum fidem se tradiderant, ut certis documentis constabat. Sin vero, quod rectius statuitur nec dubitari potest, in Sardinia contra ius occupata et exacta a Poenis pecunia belli fons quaerendus est, concedendum erit, summo iure Carthaginienses arma decrevisse: καιρῷ γὰρ πεισθέντες, ἠμύνοντο σὺν καιρῷ τοὺς βλάψαντας.

Cernitur ex hac disputatione, quod supra de rerum causis a Polybio explicatis dicebamus, idem de hoc iudicandi instituto valere. Non enim obiter et tamquam aliud agens sententiam suam adiicit, sed eam data opera exponit, argumentis in utramque partem perpensis. Quo factum est, ut saepe, cer-

(1) L. III, c. 28—31.

tum aliquod iudicium pronuntiare veritus, caute et velut anxie haesitare videatur, dum rem aliquam non *male* actam esse, aut *bene*, sed *partim male*, *partim bene*, significat. Sic, ubi narravit, Dumaeos, Pharaeenses et Tritaeenses, Arato segnius ipsis auxiliante, privatim sibi consuluisse, *bene* ab iis actum iudicat, quatenus sibi suisque prospexissent, *male* vero, quatenus non servassent iura Achaeorum communia (1).

Nec diffitendum est, hanc in iudicando dubitationem et in alios egregie cadere, et in eum praesertim, qui hoc consilio scriberet, ut prudentiam doceret lectores eorumque iudicium in amplissimo historiae theatro exerceret. Quae res quam sit difficilis ac lubrica, Polybius et sentiebat penitus, et haud raro per suam ipse argumentationem testatus est. Exemplo sit fragmentum illud, in quo agit *περὶ τοῦ μὴ ἄνευ ἀσφαλείας τοῖς ἐχθροῖς ἐνδιδόναι* (2). Exposuerat eo loco, ut credibile est, de casu ducis alicuius, qui, hostibus nimium confisus, dolo fuerat captus. Tum sic pergit: *περὶ δὲ τῶν τοιούτων περιπετειῶν πότερα χρὴ τοῖς πάσχουσιν ἐπιτιμᾶν, ἢ συγγνώμην ἔχειν, καθόλου μὲν οὐκ ἀσφαλὲς ἀποφήνασθαι.* Nam vel prudentissimi interdum ab improbis decipiuntur. Neque tamen ideo, quia iudicare difficile est, prorsus ab eo abstinendum existimat, sed, temporum ac conditionum variarum ratione habita, hos reprehendendos esse, illis condonandum.

(1) L. IV, c. 60.

(2) L. VIII, c. 1 sq. Locus non nisi a suo contextu divulsus ab epitomatore servatus est. Sed cf. de eius inserendi occasione Schweigh. annot. Vol. VI, p. 433 sqq.

Multi enim sua ipsorum imprudentia capiuntur, ut Archidamus, Lacedaemoniorum rex, Pelopidas, Cn. Cornelius, quorum exempla ita affert Polybius, ut quid cuique et qua ratione acciderit, peculiari excursu enarret. Ex quibus omnibus tandem conclusionem efficit hanc: culpandos esse, qui inconsiderate hostibus se tradiderint, condonandum vero iis, qui iustam cautionem adhibuerint. Omnes igitur, inquit, hoc sciant, idonea ubique fidei pignora esse sumenda. Attamen, quoniam fieri potest ut et cautissimus quisque capiatur, quod accidit Achaeo, qui nihil omnino cautionis neglexerat, fas certe est ut veniam talis quis et misericordiam ab aliis impetret.

Quo magis autem hunc suum iudicandi morem ad posterorum utilitatem referret, Polybius saepe latius aliquanto in ea re exspatiatus est et varias apposuit de suo observationes, quas haud sine fructu mansuras sperabat. Testis est digressio satis copiosa de quaestione: *quis vere proditor appellandus sit* (1). De hac enim, cum difficilis esset explicatu, disserere operae pretium putabat, occasionem praebente Aristaeno, illo, qui Achaeos a societate Philippi ad amicitiam Romanorum traduxerat, neque tamen proditor, *ἀλλ' εὐεργέτης καὶ σωτὴρ τῆς χώρας* dicendus Polybio videbatur. *Δῆλον γὰρ* (sic paullo ante dixerat), *ὡς οὔτε τοὺς ἐξ ἀκεραίου συμπειθομένους τῶν ἀνδρῶν πρός τινας βασιλεῖς ἢ δυνάστας κοινωνεῖν πραγμάτων, εὐθέως προδότας νομιστέον· οὔτε τοὺς κατὰ τὰς περιστάσεις μετατιθέντας τὰς αὐτῶν πατρίδας ἀπό τινων ὑποκειμένων πρὸς ἑτέρας φιλίας καὶ συμμαχίας, οὐδὲ τούτους· πολλοῦ γε*

(1) L. XVII, c. 13 sqq.

δεῖ· ἐπεί τοί γε πολλάκις οἱ τοιοῦτοι τῶν μεγίστων ἀγαθῶν γεγόνασιν αἴτιοι ταῖς ἰδίαις πατρίσιν. Quo nomine vel Demosthenes, vir alioquin maxima laude dignus, levitatis culpa non vacet, qui principibus Graecorum, Hieronymo, Eucampidae, aliis compluribus, temere proditionis labem adsperserit, ob id unum, quia societatem Philippi essent amplexi. Sed tantum aberat, ut eos Polybius ideo reprehendendos censeret, ut eos potius strenue defendat, et universae Graeciae multa eaque magna beneficia praestitisse iudicet. Iniquum igitur hac in re fuisse Demosthenem, qui nihil praeter suae civitatis salutem curans, ceteros Graecos, si minus Athenas respexissent, proditores continuo appellaret (1).

Sed quis igitur, sic enim pergit, dicendus est proditor? Illi fere, ὅσοι κατὰ τὰς ὁλοσχερεῖς περιστάσεις, ἢ τῆς ἰδίας ἀσφαλείας καὶ λυσιτελείας χάριν, ἢ τῆς πρὸς τοὺς ἀντιπολιτευομένους διαφορᾶς, ἐγχειρίζουσι τοῖς ἐχθροῖς τὰς πόλεις, vel rursus, ὅσοι φρουρὰν εἰςδεχόμενοι, καὶ συγχρώμενοι ταῖς ἔξωθεν ἐπικουρίαις πρὸς τὰς ἰδίας ὁρμὰς καὶ προθέσεις, ὑποβάλλουσι τὰς πατρίδας ὑπὸ τὴν τῶν πλεῖον δυναμένων ἐξουσίαν. Neque tales umquam possunt latere, sed illis, quos prodiderunt, invisi, his, quorum in gratiam peccatum est, suspecti, experiuntur illud, quod alibi scripsit Polybius, ὅτι ἔστι τις Δίκης ὀφθαλμός, ἧς μηδέποτε δεῖ καταφρονεῖν ἀνθρώπους ὑπάρχοντας (2).

---

(1) Monitum velim hoc loco, istam Polybii disputationem ita a me referri, ut ab auctore suo profecta est. Multum enim abest, ut Demosthenem iure sic carpi putem. Sed eius defensio et ab hoc loco erat aliena, et meo non eget praesidio.

(2) L. XXIV, c. 8.

Quo fit, ut mala conscientia, veluti furiarum stimulo, agitati tandem in miserrimam sortem incidant. Placuit sibi Polybius in hac descriptione ornatius elaboranda (1), et quo tristiorem iudicet proditoris conditionem, eo magis miratur, tot tamen ubique reperiri animas venales, ut nemini fere pravorum consiliorum minister quaerenti defuerit. Unde non iniuria dixeris, homines brutis animalibus esse stolidiores, quippe qui non tantum naturae vitio peccent, sed rationis etiam alienatae caeco furore.

Quis est, quin docendi et emendandi studium in tali disputatione agnoscat? Nec minus cernitur hoc in excursibus de re militari, de quibus operae pretium est videre. Bellica enim scientia, si qua alia, singulariter prorsus instructus erat Polybius, nec fieri poterat quin huius etiam disciplinae studiosis per historiae scriptionem prodesse niteretur.

Luculentissimum exemplum exstat in libro illo sexto, quem supra laudavimus. Quo loco ita copiose simul et accurate de universa Romanorum re militari exposuit, ita singula more suo diiudicavit, ut vix quidquam praetermisisse videatur (2). Longum est vel summatim recensere, quae de militum delectu, de ducum praefectorumque creatione, de sacramento militari, de peditum equitumque armis, de copiis disponendis, de omnibus denique, quaecumque huc pertineant, explicuit ac fuse illustravit. Neque hic substitit, sed ubique ostendit diligenter, quantopere

(1) Locum illum, tamquam specimen eloquentiae Polybianae, attulit Goudoeverus V. Cl. l. l. p. 118 sq.

(2) Inscribitur hicce excursus πολεμικὰ Ῥωμαίων ἐπιτηδεύματα, et legitur l. VI, c. 19—43.

reliquos omnes in hoc genere superarent Romani. Testis sit enucleata illa castrorum in itinere metandorum descriptio, in qua quantum Romanis Graeci cederent, idoneis argumentis demonstratur (1).

Sed totus hic locus non percurrendus tantum neque excerpendus, verum unicuique militiae Romanae cognoscendae cupido attente perlustrandus est. Quod idem valet de aliis locis permultis. Sic enim explicat Polybius, quas ob causas vallum Romanorum Graecorum vallo longe sit praeferendum (2). Sic comparationem instituit Macedonicam inter Romanamque militiam (3), eoque loco hoc agens imprimis, ut illorum phalangem cum horum acie conferat, utriusque et commoda et incommoda recenset, utilitatem diiudicat, denique ostendit cur et quibus in rebus phalangi praestet acies Romana.

Praecipuum autem in his omnibus consilium habebat Polybius hocce, ut explicaret, quibus ex causis Romani ceteris omnibus in re bellica palmam praeriperent et tantum non semper victores e pugna redirent. At, dicat aliquis, invita hac praestantia, cedere tamen debuerunt Hannibali, a quo gravissimas clades haud semel accepere et eo redacti sunt, ut, hoste ad urbis iam moenia appropinquante, de ipsa prope salute desperarent. Verum quidem hoc, inquit Polybius (4), sed nihil inde sequitur, quo minus excellere militia Romana videatur. Aliae enim erant causae, quibus eo pervenit Hannibal, et hic

(1) L. l. c. 41 sq.

(2) L. XVIII, c. 1.

(3) Ibid. c. 11—16. Aliae de militia sententiae passim apud Polybium occurrunt, veluti l. I, c. 17, l. II, c. 29, l. XV, c. 15 cet.

(4) L. XVIII, c. 11.

ipse, adversariorum arma imitatus, honorificentissimum de iis testimonium edidit.

Non alienum est hoc loco memorare descriptionem τῆς πυρσείας, sive rationis nuntios per faces sublatas mittendi, quae τηλεγραφίας nomine apud recentiores celebrata est (1). Hoc enim inventum ita utile in re bellica Polybius iudicabat, ut quomodo sensim sensimque emendatum fuisset ac perfectum, consulto explicandum arbitraretur. Postquam igitur ostendit, quam parum apta antiquorum fuerit ratio signa per faces dandi, Aeneae deinceps Tactici rationem exponit, eiusque incommoda enumerat. Melius institutum excogitaverant postea Cleoxenus ac Democlitus, ut nempe singulae literae ordine distributae certo signo indicarentur. Quorum ratio, ab ipso Polybio correcta, omnium simplicissima erat et facillima. Quocirca Polybius fusius de ea disserit et totam rem ita explicat, ut ab initio ad finem usque erat administranda, allato etiam specimine nuntii alicuius, quem mittendum sibi fingit. Nec ea res, inquit, ut bene agatur, tam difficilem operam requirit, modo adsit usus et exercitatio. Haec enim quantum valeant, ipsa docet legendi ars, cuius difficultates, haud sane exiguas, adhibito studio et labore, vel a pueris superari videmus. Quibus ita dictis hanc auream sententiam subiicit: ἀλλ' οὐκ ἀποστατέον οὐδενὸς τῶν χρησίμων διὰ τὰς προφαινομένας δυσχερείας· προσακτέον δὲ τὴν ἕξιν, ᾗ πάντα τὰ καλὰ γίγνεται θηρατὰ τοῖς ἀνθρώποις (2).

Exposita Polybii de rebus praesertim politicis ac militaribus disserendi ratione, reliquum est ut eius

(1) Occurrit haec *Telegraphiae* descriptio l. X, c. 43 sqq.

(2) Ibid. c. 47.

iudicandi morem cum de singulis hominibus, in historia claris, tum de scriptoribus, qui ante ipsum floruerant, commemoremus. Ante omnia tamen hoc loco, quomodo de Romanis scripserit, paucis attendendum videtur. Quum enim, ut diximus supra, hoc ostendere sibi proposuisset, non illos mero Fortunae arbitrio, sed sua prudentia ac virtute ad orbis terrarum principatum venisse, huic proposito ita satisfecit, ut ubicumque idoneam occasionem nactus sibi videretur, Romanorum instituta explicaret deque eorum bonitate commentaretur.

Primarium hic locum iure obtinet excursus unus in paucis celebratus, in quo agitur *περὶ συστάσεως τῆς τῶν Ῥωμαίων πολιτείας* (1). Quam rei publicae formam tanti aestimabat Polybius, ut affirmaret, nullam reperiri posse meliorem. Neque ad praeclaram hanc civitatis ordinationem philosophis disputationibus adducti erant Romani, sed per ipsam experientiam, quae optima magistra, ut est, ita haberi solet. Quod ita dicit Polybius: *οὐ μὴν διὰ λόγου, διὰ δὲ πολλῶν ἀγώνων καὶ πραγμάτων, ἐξ αὐτῆς ἀεὶ τῆς ἐν ταῖς περιπετείαις ἐπιγνώσεως αἱρούμενοι τὸ βέλτιον, οὕτως ἦλθον ἐπὶ κάλλιστον σύστημα τῶν καθ' ἡμᾶς πολιτειῶν*. Quapropter huic argumento haud sine legentium fructu immoraturum se existimabat, sic statuens, *οὐ μόνον πρὸς τὴν τῆς ἱστορίας σύνταξιν οἰκείαν εἶναι τὴν περὶ αὐτῆς ἐξήγησιν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰς τῶν πολιτευμάτων διορθώσεις καὶ κατασκευὰς μεγάλα συμβάλλεσθαι τοῖς φιλομαθοῦσι καὶ πραγματικοῖς τῶν ἀνδρῶν* (2).

---

(1) L. VI, c. 11–19.

(2) L. III, c. 118.

Romanorum res publica (1) ex tribus imperii formis ita mixta est et aequabiliter composita, ut ad nullam earum unice referenda sit, at singularum commodis gaudeat, incommodis careat. Si quis enim Consulum potestatem spectaret, monarchiam esse crederet; si respiceret Senatum, optimorum imperium cernere sibi videretur; sin vero populi auctoritatem reputaret, vere democraticam civitatis formam hanc esse cogitaret. Quod sapienter admodum sic constitutum est. Ita enim Consulibus Senatus populusque obnoxii sunt, ita illorum potestas plebisque licentia a Senatu temperantur, ita denique nimiam paucorum dominationem populus reprimit atque coercet, ut nulla pars sua potentia possit abuti, sed singulae certa ratione se invicem et contineant et sustentent. Quo fit, ut si tria haec in civitate momenta, sic coniunctis viribus, eodem firmiter tendant, gravius vix quidquam reperiri possit.

Longior est haec disputatio, quam quae hic aut describatur, aut diligentius enarretur. Monuisse igitur sufficiat, omnia more Polybiano fuse esse explicata ac ratiocinando illustrata. Nec quantis laudibus excellentem hanc rei publicae formam dignam censeret, reticuit Polybius; qui, quum ipse summa Romanorum admiratione teneretur, eos et apud aequales et apud posteros suo encomio celebrandos putabat.

Conferenda hic alia disquisitio est, qua res publica Romana cum Laconica Punicaque comparatur, praemisso brevi conspectu de Thebana, Atheniensi, Cretensi, deque ficta Platonicae rei publicae specie (2).

(1) L. VI, l. l.
(2) Ibid. c. 43—57.

Et eo quidem loco singularum civitatium cum virtutes tum vitia recensentur ac ponderantur, unde appareat, quanta sit in ea re Romanorum praestantia. Quorum laudes et alioquin magnae sunt, et in hoc praesertim spectantur, quod adolescentes acerrimis stimulis ad praeclara quaeque incitent, ac quidvis pro patriae salute pati doceant; cuius rei et alii permulti indicio fuerunt, et Horatius ille Cocles illustre olim exemplum edidit. Porro abstinentia et integritate ceteris omnibus antecellunt Romani (1), et religionis observantissimi sunt. Nec mirum est, eos ad tam egregiam civitatis formam pervenisse, quippe cui emendandae ita vigili semper studio mentem intendant, ut quidquid apud alios pulcrum praeclarumque repererint, in suos usus transferre non dubitent: *ἀγαθοὶ γὰρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον οἱ Ῥωμαῖοι* (2).

Has autem et alias Romanorum laudes quamquam non uno loco praedicavit Polybius, alia tamen in iis habebat reprehendenda. Sic, ut uno e paucis exemplo defungar, carpit alicubi nimiam qua erant, praesertim in rebus maritimis, audaciam ac fere temeritatem; quae etsi saepe afflictis inexspectatum praebuerit exitum, saepius tamen nocuit vehementer, ac, nisi meliora sequantur, in posterum nocebit (3). Et similiter alibi de pervicacia Romanorum disputans, *Ἴδιον γὰρ τοῦτο*, inquit, *πάντῃ παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος καὶ πάτριόν ἐστι, τὸ κατὰ μὲν τὰς ἐλατ-*

(1) Quo nomine et alibi a Polybio laudantur, testibus allatis L. Aemilio et P. Scipione. Cf. l. XVIII, c. 18.

(2) Uti supra dixerat, l. VI, c. 25.

(3) L. I, c. 37.

τώσεις αὐθαδεστάτους καὶ βαρυτάτους φαίνεσθαι, κατὰ δὲ τὰς ἐπιτυχίας ὡς μετριωτάτους (1). Quod etsi universe pulcrum est, interdum tamen, laudandum vituperandumve sit, haud iniuria potest dubitari (2).

Accedimus ad Polybii iudicia de singulis viris in historia illustribus. Quorum quum nullum omnino indictum praetermiserit, de omnibus dicere infinitum est. Duos igitur seligemus in historia Polybiana facile principes, Hannibalem et Philippum, Demetrii filium, Macedoniae regem. Horum enim exemplo, qua ratione in hoc negotio uti soleat Polybius, satis, credo, intelligetur.

Haud sine religiosa quadam anxietate iudicium suum de Hannibale pronuntiavit, de quo, quum tam varius fuisset pro temporum varietate, recte statuere arduum esse sentiebat. Quod enim nonnulli dixerant, ἐλέγχεσθαι τὰς φύσεις ὑπὸ τῶν περιστάσεων, καὶ τοὺς μὲν ἐν ταῖς ἐξουσίαις καταφανεῖς γίγνεσθαι, κἂν ὅλως τὸν πρὸ τοῦ χρόνον ἀναστέλλωνται, τοὺς δὲ πάλιν ἐν ταῖς ἀτυχίαις (3), illud a Polybii sententia abhorrebat. Ἐμοὶ δ' ἔμπαλιν, inquit, οὐχ ὑγιὲς εἶναι δοκεῖ τὸ λεγόμενον· οὐ γὰρ ὀλίγα μοι φαίνονται, τὰ δὲ πλεῖστα, ποτὲ μὲν διὰ τὰς τῶν φίλων παραθέσεις, ποτὲ δὲ διὰ τὰς τῶν πραγμάτων ποικιλίας, ἄνθρωποι παρὰ τὴν ἑαυτῶν προαίρεσιν ἀναγκάζεσθαι καὶ λέγειν καὶ πράττειν. Testem affert Agathoclem, qui quum in constituenda Siciliae ty-

(1) L. XXVII, c. 8.

(2) Cff. porro de Romanis l. II, c. 20, l. VIII, c. 3, l. X, c. 16 sq. cet.

(3) L. IX, c. 22, ex quo loco etiam sequentia excerpta sunt. Agit hic locus (c. 22—27) de industria de ingenio et moribus Hannibalis.

rannide omnium crudelissimus visus fuisset, eadem confirmata, clementissimus fuit et egit mitissime. Quod idem valet de Cleomene Spartano, de Philippo rege, de ipsis porro Atheniensibus ac Lacedaemoniis, quorum exempla postquam apposuit Polybius, suamque igitur sententiam universe demonstravit, sic in praesenti causa concludit, iudicium de Hannibale grave esse ac difficile. Nam quum variis et saepe inopinatis fortunae vicibus usus fuisset Hannibal, amicorum etiam diversissimorum consuetudine, multa contra suam ipse indolem suaque instituta agere coactus est. Sic, quod a Romanis imputabatur ei, crudelitatis crimen, potius ad familiares, eum alios, tum praesertim ad Hannibalem illum, qui Monomachus dicebatur, pertinere credibile est. Nam, nisi temporum conditione aut amicorum pravis consiliis adductus, crudelis Hannibal non fuisse videtur.

Sed alia quoque in eum accusatio ferebatur. Eius enim φιλαργυρίαν plerique culpabant. Neque idonea causa erat Polybio, cur de huius criminis veritate dubitaret, quum praesertim ipsi illi Carthaginienses, apud quos summa gratia Hannibal floreret, φιλάργυρον tamen fuisse non negarent. Concedit igitur Hannibalem ista reprehensione teneri, sed affirmat iterum illud, a quo inceperat, multa eum suae naturae repugnantia facere coactum fuisse. Sic, recepta a Romanis Capua, temporum necessitate fuerat impulsus, ut saevius et iniquius nonnulla gereret, quamquam animo a talibus abhorrens. Patet itaque quam difficile sit ac lubricum, de ingenio ac moribus Hannibalis accurate et vere statuere. Quapropter Polybius, ne arrogantiae aut levitatis famam contraheret, ab hac quaestione dirimenda

caute abstinuit, ac potius modeste et ingenue ita concludit: κρατεῖ γε μὴν ἡ φήμη παρὰ μὲν Καρχηδονίοις, ὡς φιλαργύρου· παρὰ δὲ Ῥωμαίοις, ὡς ὠμοῦ γενομένου αὐτοῦ (1).

Haec de Hannibalis moribus. De peritia eius militari ac virtute bellica liberius pronuntiari poterat, quippe de quibus una esset et consentiens omnium vox. Quis enim magnum belli ducem illum appellare dubitaret, qui post tot praeclara facinora facto illo celebratissimo per Alpes transitu, omnium potentissimum populum, Romanum, in ipsa Italia adortus est, eumque perbrevi tempore, gravissimas clades passum, in extremas redegit angustias? Qui porro, quum haberet exercitum e diversis populis coactum, milites suos, moribus, indole, lingua inter se alienissimos, tam excellenti disciplina continuit, ut per sedecim annorum spatium, in perpetuo armorum discrimine ac rebus haud raro male cedentibus, nulla umquam seditio, nullus tumultus orti sint (2)? Ex quo affirmare licet, ὡς, εἴπερ ποιησάμενος τὴν ἀρχὴν ἐπ' ἄλλα μέρη τῆς οἰκουμένης, ἐπὶ τελευταίους ἦλθε Ῥωμαίους, οὐδὲν ἂν τῶν προτεθέντων αὐτὸν διέφυγε· νῦν δ', ἐφ' οὓς ἔδει τελευταίους ἐλθεῖν, ἀπὸ τούτων ἀρξάμενος, ἐν τούτοις ἐποιήσατο καὶ τὴν ἀρχὴν τῶν πράξεων καὶ τὸ τέλος (3).

Hanc autem, qua florebat Hannibal, rerum militarium peritiam aliis etiam locis laudat Polybius, eumque hoc nomine cum Epaminonda comparat, cuius res gestae ad Spartam et Mantineam cum ipsa re similes sunt iis, quas ad Capuam et Romam ges-

(1) Ibid. c. 26.
(2) L. XI, c. 19.
(3) Ibid.

sit Poenorum dux, tum in eo quoque, quod aeque prudenter, aeque solerti consilio ab utroque actum fuit (1).

Ad Philippum transimus. De quo viro ut paullo uberius exponamus, ipse facit Polybius, quum dicit: *δοκεῖ γάρ μοι τοῖς καὶ κατὰ βραχὺ βουλομένοις τῶν πραγματικῶν ἀνδρῶν περιποιεῖσθαι τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας διόρθωσιν, ἐναργέστατον εἶναι τοῦτο παράδειγμα* (2). In hoc enim, si in alio quoquam, cerni existimabat, quanta esset temporum et amicorum ad formandos mores vis et efficacitas. Nec certe quisquam est, quem saepius aut copiosius iudicaverit in utramque et laudis et reprehensionis partem. Quod si cui mirum videatur, diversas de eodem viro sententias Polybium pronuntiare, audiat ipsum, qui, postquam dixit nihil veritate antiquius historico esse oportere, ita pergit: *διόπερ οὔτε τῶν φίλων κατηγορεῖν, οὔτε τοὺς ἐχθροὺς ἐπαινεῖν ὀκνητέον· οὔτε δὲ τοὺς αὐτοὺς ποτὲ μὲν ψέγειν, ποτὲ δὲ ἐγκωμιάζειν εὐλαβητέον· ἐπειδὴ τοὺς ἐν πράγμασιν ἀναστρεφομένους οὔτ' εὐστοχεῖν αἰεὶ δυνατὸν, οὔθ' ἁμαρτάνειν συνεχῶς εἰκός· ἀποστάντες οὖν τῶν πραττόντων, αὐτοῖς τοῖς πραττομένοις ἐφαρμοστέον τὰς πρεπούσας ἀποφάσεις καὶ διαλήψεις ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν* (3).

Philippus autem, Demetrii filius, eximia indole praeditus erat. *Βασιλέα γὰρ*, inquit Polybius, *πλείοσιν ἀφορμαῖς ἐκ φύσεως κεχορηγημένον πρὸς πραγμάτων κατάκτησιν, οὐκ εὐμαρὲς εὑρεῖν· καὶ γὰρ ἀγχίνοια, καὶ μνήμη, καὶ χάρις ἐπῆν αὐτῷ διαφέρουσα·*

(1) L. IX, c. 8 sq. De Hannibale cff. porro l. III, c, 15, 91, l. X, c. 33 cet.

(2) L. VII, c. 12.

(3) L. I, c. 14, et cf. l. IV, c. 8.

πρὸς δὲ τούτοις, ἐπίφασις βασιλικὴ καὶ τόλμα πολεμικὴ (1). Quo factum est, ut, quum iuvenis admodum regni moderamen suscepisset, omnium benevolentiam ita sibi conciliaret, ut totius Graeciae deliciae haberetur (2). At vita, tam praeclaris auspiciis incepta, mox in alia omnia abiit. Nec huius rei causa longe quaerenda est. Nam quum duorum maxime familiarium consuetudine uteretur, Arati et Demetrii, illius, honesta quaeque suadentis, consilia non curavit, Demetrii prava et turpia avide arripuit (3), memorabile praebens regnantibus exemplum, quanti momenti sit illud, in amicorum delectu cautum esse ac lentum (4). Philippus enim, hoc neglecto, ad improbam morum corruptelam paullatim deflexit. Ac primum quidem hanc culpam commisit, quod Thermi, Aetoliae urbis, templum everteret (5). Qua in re quum iuste egisse se arbitraretur, vehementer errabat; nam irae nimium indulgens honesti fines erat transgressus. Etsi enim laedere hostes, belli lex est, neque semper iniqua et saepe necessaria, iis tamen sine ulla sui utilitate nocere, ac Deorum sacra violare, *τρόπου καὶ θυμοῦ λυττῶντος ἔργον*. At, dicat quis, iusta Philippi erat vindicta, quum idem antea Aetoli Dii ac Dodonae fecissent. Vere quidem ille, sed turpe existimabat Polybius impietate hostes superare, aequitate et honestate iis antecellere praeclarissimam victoriam

---

(1) L. IV, c. 77.
(2) L. VII, c. 12.
(3) Ibid. c. 13.
(4) Ibid. c. 14.
(5) L. V, c. 9—13, ex quo loco etiam sequentia excerpta sunt.

censebat. Quocirca Philippum, qui Aetolorum scelera sceleribus compensasset, eandem atque illos improbitatis famam haud immerito esse adeptum. Sin vero hostibus pepercisset, quantam ab iis, iusto pudore affectis, benevolentiam retulisset! Moderatior olim in Spartanos fuerat Antigonus, moderatior erga Athenienses Philippus, Amyntae filius, inque Thebanos ac Persas Alexander, qui hac ipsa de causa immortale nomen sibi pepererant. *Ταῦτ' οὖν ἐχρῆν καὶ τότε Φίλιππον ἐν νῷ λαμβάνοντα συνεχῶς, μὴ οὕτω τῆς ἀρχῆς, ὡς τῆς προαιρέσεως, καὶ τῆς μεγαλοψυχίας διάδοχον αὐτὸν ἀναδεικνύναι καὶ κληρονόμον τῶν προειρημένων ἀνδρῶν.* Nunc vero, contrariis consiliis usus, contrariam famam nactus est. Neque tamen huius rei culpa Philippo tota tribuenda videtur, sed Demetrio imprimis Phario, cuius pravis instigationibus ad turpia facinora iuvenis rex movebatur.

Mox eadem impietate usus est adversus Messenios, quorum agros hostili manu vastavit, *θυμῷ τὸ πλεῖον ἢ λογισμῷ χρώμενος.* Quod facinus, etsi fuerant qui excusarent, Polybius tamen graviter reprehendit, et inhumanum saevumque appellandum esse ostendit (1).

Quod plerumque fieri videmus, ut si quis semel honesto neglecto, ad turpia inclinaverit, magis magisque a recta via abreptus, tandem ad mala quaeque flagitia praeceps ruat, hoc Philippo quoque accidit, qui in tantam prolapsus est impudentiam, tamque effrenatam libidinem, ut vix quisquam sua potentia scelestius abusus videatur (2).

Neque vel sic tamen inconsiderate in eum inve-

(1) L. VIII, c. 10.

(2) L. X, c. 26.

hitur Polybius, sed illud iterum statuit, bonam ac praeclaram Philippi indolem temporis progressu in peius esse mutatam, quod pravorum familiarium consuetudini imprimis tribuendum sit. Virtutes enim natura insitas habebat haud paucas, quae interdum per media scelera tamquam erumpentes, bona quaedam facta excitarunt. Quas animi dotes reticendas minime putabat Polybius, imo vero, ubi occasio daretur, sua laude ornandas, ne ipse, caeco odio ductus, praeter modum Philippum lacerasse videretur. Constantiam igitur eius et animi in rebus gerendis magnitudinem praedicat (1), fortitudinem laudat (2), eumque adversa fortuna ad rectam rationem rediisse, aequitatis causa commemorat (3); ita ut universum de Philippo iudicium in hanc fere sententiam contrahatur: *Φίλιππος ὁ βασιλεὺς, ὅτε μὲν ηὐξήθη καὶ τὴν κατὰ τῶν Ἑλλήνων ἐξουσίαν ἔλαβε, πάντων ἦν ἀπιστότατος καὶ παρανομώτατος· ὅτε δὲ πάλιν τὰ τῆς τύχης ἀντέπνευσε, πάντων μετριώτατος* (4).

Sed his ita disputatis nondum substitit Polybius, quippe qui docendi munus nusquam sibi negligen-

---

(1) L. XVI, c. 28.

(2) L. X, c. 41.

(3) L. XVIII, c. 16, ubi sic ait: *καθάπερ γὰρ καὶ τὰς ἐξ ἀρχῆς ὁρμὰς ἐπὶ τὸ δέον αὐτοῦ σαφῶς ἐδηλώσαμεν, καὶ πάλιν τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολὴν, καὶ πότε, καὶ διὰ τί, καὶ πῶς ἐγένετο, καὶ τὰς ἐν ταύτῃ πράξεις μετ' ἀποδείξεως ἐξηγησάμεθα· τὸν αὐτὸν τρόπον χρὴ καὶ τὴν μετάνοιαν αὐτοῦ δηλῶσαι, καὶ τὴν εὐστοχίαν, καθ' ἣν μεταθέμενος τοῖς ἐκ τῆς τύχης ἐλαττώμασιν, εὐλογιστότατα δοκεῖ χρῆσθαι τοῖς καθ' αὐτὸν καιροῖς.*

(4). L. XXVI, c. 5.

dum arbitraretur. Philippi igitur exemplo posteros moniturus, data opera descripsit, quibus iste curis et aerumnis, tamquam vitae anteactae poenis ultricibus, cruciatus postea fuerit (1), ex quo appareat, quantopere virtus sit appetenda, vitium fugiendum, quamque vere dictum sit illud: »Iram divinam tar»ditatem supplicii gravitate compensare" (2).

Nisi iam diutius in hoc argumento haesissemus, Polybii de Scipione iudicium explicare liberet. Qui locus procul dubio inter luculentissimos huius historiae referendus est (3). Ita enim Scipionis, familiaris sui, prudentiam et sagacitatem exposuit, continentiam atque integritatem enarravit, liberalitatem denique et fortitudinem declaravit, ita per apposita specimina singulis fidem addidit, ut ad laudem efficacius vix quidquam scribi possit. In quo excursu num quid forte amicitiae aut animi studio liberius indulserit, nostrum non est quaerere. Sed monuisse sufficiat, tam alacri diligentia in hac disquisitione exspatiatum fuisse Polybium, ut, ceteris omnibus omissis, huic unice intentus videatur. Et sic in medio rerum cursu ubique fere ab argumento principe digreditur, ut de viris in historia conspicuis sententiam suam enuntiet. Hinc varia iudicia, per totum opus sparsa, de Arato (4), de Philopoemene (5), de

(1) L. XXIV, c. 8.

(2) Uti ait Valerius Maximus, l. I, c. 1, ext. 3.

(3) L. XXXII, c. 9—17. Cf. porro de Scipione locus classicus, l. X, c. 2 sqq., tum etiam l. X, c. 40, l. XV, c. 4 alia.

(4) L. IV, c. 8.

(5) L. X, c. 24 sq., l. XI, c. 14 sqq., l. XXIII, c. 9, l. XXV, c. 9.

Amilcare Barca (1) et Asdrubale (2), de Q. Fabio Maximo (3) Aemilioque Paullo (4), de omnibus (5) ita denique, ut certo eum instituto usum fuisse appareat, ac plenissime perfecisse, quod ipse alicubi dixit: *ἐπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων, αἰεὶ τὸν καθήκοντα λόγον ἁρμόζοντες, ἀποφαινόμεθα περί τε τῶν βασιλέων καὶ τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν· νομίζοντες, ταύτην οἰκειοτέραν εἶναι καὶ τοῖς γράφουσι καὶ τοῖς ἀναγινώσκουσι τὴν ἐπισημασίαν* (6). Sed his iam dimissis, quod reliquum est, Polybium de scriptoribus, qui ante ipsum floruerant, disserentem audiamus.

Fieri non poterat, quin in tanto historiae ambitu multa scriberentur, quae aliorum historicorum sententiae repugnarent. Quae discrepantia quum non nisi solidis argumentis diiudicari possit, ut pateat quis vera tradiderit, quis falsa, id omnino sibi prospiciendum censebat Polybius, ne umquam temere a quoquam dissentire videretur. Causas igitur addidit ubique, ob quas aliis fidem non habendam existi-

---

(1) L. I, c. 62.

(2) L. XI, c. 2.

(3) L. III, c. 89 sq.

(4) L. XXXII, c. 8.

(5) Sic v. c. de Hieronymo, Syracusarum rege, l. VII, c. 7; de Machanida, l. XI, c. 14 sqq.; de Aristaeno, l. XXV, c. 9; de Callicrate, l. XXVI, c. 3.; de Antiocho Epiphane, quem *Epimanem* appellat Polybius, l. XXVI, c. 10; de Polyarato, l. XXX, c. 9; de Charope Epirota, l. XXXII, c. 21; de Prusia, ibid. c. 25 et l. XXXVII, c. 2; de A. Postumio Albino, l. XL, c. 6; de Mummio, l. XL, c. 11. Cff. porro l. VII, c. 8., l. XV, c. 35 sq., l. XVI c. 9, l. XVII, c. 12, l. XVIII, c. 24, l. XXIII, c. 18, l. XXIV, c. 9., l. XXVI, c. 5, l. XXVII, c. 10., l. XXXII, c. 23, l. XXXVII, c. 3, l. XL, c. 12 cet.

(6) L. X, c. 26.

maret. Neque vero satis ducebat, antiquiorum errores refutare in illius, de qua ageret, rei narratione, sed ita in hoc genere divagatus est, ut subinde de universa huius illiusve scriptoris historica fide dedita opera commentaretur. Quo factum est, ut complures de hoc argumento excursus omnium, quotquot sunt, longissimi reperiantur. Et erat quidem auctoris in hoc negotio propositum duplex, alterum, ut sibi fidem conciliaret, simulque ostenderet, quanti unusquisque priorum historicorum esset faciendus; alterum, quod propius ad historiam pragmaticam pertinet, ut lectores assuefaceret, nihil temere amplecti, sed omnia diligenter perpendere atque examinare. Prudenter enim monuisse Epicharmum:

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν (1).

Neque enim ad solidiorem rerum cognitionem magis quidquam valere, quam ut fides caute adhibeatur, omniaque accurate et cum dubitatione ponderentur. Quod Polybius summi momenti esse ratus, lecturis tamquam specimina exhibere voluisse videtur, unde discerent, quo modo in simili iudicio res esset gerenda.

Sed ut ea, quae dixi, comprobentur, una et altera harum digressionum attentius erit inspicienda.

Primo loco hic in censum veniat de Timaeo historico excursus (2), quo prolixiorem invenies nul-

(1) Apud Suidam in v. *Νῆφε*. Ipse Polybius hanc Epicharmi sententiam laudavit l. XVIII, c. 23.

(2) Longissima haec diatribe, quam semel citasse sufficiat, legitur in libris editis, l. XII, a c. 3 ad finem; tum alia eius pars in *Exc. Vatic.* p. 14–47, ita ut 26 capita in ed. Schweigh. et 34 paginas in *Exc. Vatic.* complectatur.

lum. Tot enim sunt variae illius scriptoris narrationes, tot varia iudicia, quae a Polybio exponuntur ac verbosa disquisitione refutantur, ex qua pateat arguendum illum esse ἀγνοίας, ἔτι δὲ ἑκουσίας ψευδογραφίας. Sed locum istum totum percurrere, peculiarem postulat disputationem. Nos igitur summatim tantum, quid et quo modo reprehendatur, videamus.

Historiae suae intexuerat Timaeus et alia geographica et Africae insulaeque Corsicae descriptionem; in eaque multa, de animalibus praecipue, narraverat falsa et incredibilia. A quibus refellendis Polybius initio ducto, mox ad alia plurima exspatiatur, quae in Timaeo habebat culpanda. Pertinebant huc imprimis ea, quae de origine coloniae Locrorum scripserat. Qua in re quum Aristotelis sententiam improbaret, petulanter et indecoris verbis in hunc erat invectus. At patrocinium Aristotelis suscipit Polybius, eumque recta et vera scripsisse, Timaeum vero nihil nisi falsa et futilia demonstrat. Ex quo efficitur, ut, quum veri summam curam habere historicum oporteat, Timaeus gravi culpa notandus sit, qui primarium illud scriptoris officium indigno modo neglexerit ac nimius fuerit in vituperando. Ut autem ostendat Polybius Timaei mendacitatem, inter alia dicit, eum ubique monumenta publica et inscriptiones crepare, quibus maiorem suae scriptioni fidem concilient. Sed quid obstitit, quominus haec monumenta diserte indicaret, et fontes, unde quaeque hausisset, significaret? Fecisset hoc procul dubio, sic pergit Polybius, nisi fuisset συνειδὼς αὑτῷ κατὰ πρόθεσιν ἐψευσμένῳ. Tali igitur scriptori venia mendaciorum minime est concedenda, cum praeser-

tim ipse alios acerbissime laceraverit: πικρὸς γὰρ γεγονὼς καὶ ἀπαραίτητος ἐπιτιμητὴς τῶν πέλας, εἰκότως ἂν καὶ ὑπὸ τῶν πλησίον αὐτὸς ἀπαραιτήτου τυγχάνοι κατηγορίας.

Deinde Timaei in Democharem, Agathoclem, Ephorum, Callisthenem, Homerum adeo et Aristotelem convicia enarrantur a Polybio, et iniqua et inepta fuisse demonstrantur, in quibus omnibus aut decorum neglexerat Timaeus, aut turpia tantum memoraverat, praeclare facta tacuerat, denique ostenderat, quam levi esset ac moroso ingenio, quamque veri videndi impotens. Quod a Polybio satis acerbe his verbis declaratur: οὐ μὴν ἀλλὰ διότι γε συμβαίνει, διὰ τὴν ἀπειρίαν καὶ κακοκρισίαν πολλοὺς ἐνίοτε καθάπερ εἰς τὸν παρόντα τρόπον τινὰ μὴ παρεῖναι, καὶ βλέποντας μὴ βλέπειν, ἐκ τῶν εἰρημένων γε νῦν καὶ τῶν Τιμαίῳ συμβεβηκότων γέγονε φανερόν. Et sic mox ab eo appellatur Timaeus φιλαπεχθής, καὶ ψεύστης, καὶ τολμηρός, tum ἀφιλόσοφος καὶ συλλήβδην ἀνάγωγος συγγραφεύς. Nam quum duo sint, per quae omnia cognoscuntur, visus et auditus, hic, ut facilior, ita fallacior est, ille, uti certior, ita difficilior. At Timaeus auditum praetulit. Quidni tandem? Nullum enim omnino habebat rerum usum, historicis ante omnia necessarium. Quod ita ait Polybius: ὧν (τῆς ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἕξεως κ. τ. λ.) ὁ Τίμαιος οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην πρόνοιαν θέμενος, ἀλλὰ καταβιώσας ἐνὶ τόπῳ ξενιτεύων, καὶ σχεδὸν ὡσανεὶ κατὰ πρόθεσιν ἀπειπάμενος καὶ τὴν ἐνεργητικὴν τὴν περὶ τὰς πολεμικὰς καὶ πολιτικὰς πράξεις, καὶ τὴν ἐκ τῆς πλάνης καὶ θέας αὐτοπάθειαν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐκφέρεται δόξαν, ὡς ἕλκων τὴν τοῦ συγγραφέως προστασίαν.

Porro in eodem excursu aliis multis de rebus culpatur Timaeus. Sic orationes fictae, quas in historia frequenter adhibuerat, gravissime reprehenduntur, testibus allatis iis, quas Hermocrati et Timoleonti tribuerat, quarum utraque et puerilis et absurda esse a Polybio demonstratur, qui simul, hac occasione data, suam sententiam explicat de loco ac modo, quo istiusmodi concionibus historicum uti oporteat.

Sed infinitum est omnia memorare, quae hoc loco de Timaeo disputantur, rerum narrandarum serie per quantum spatium intermissa. Ne quis autem existimet, unicum hoc esse exemplum, ac singulari fortasse in Timaeum simultate adductum fuisse Polybium, ut tam fuse de eo dissereret, de aliis paucis scriptoribus erit videndum, quo pateat, Polybium omnium rationem accurate exploravisse. Ex qua immodica exspatiandi licentia iterum hoc clare apparebit, Polybium non imprudentem in scribendo abreptum fuisse, sed certo proposito egisse.

Minus fortasse acerbe, sed copiose tamen de Phylarcho exposuit (1). Qui quum variis in locis, praesertim in illo, de quo agit Polybius, bello Cleomenico, complura tradidisset, iis, quae ab Arato scripta essent, contraria, necesse sibi duxit Polybius, *μὴ παραλιπεῖν ἄσκεπτον τοῦτο τὸ μέρος· ἵνα μὴ τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς γράμμασιν ἰσοδυναμοῦν ἀπολίπηται πρὸς τὴν ἀλήθειαν.* In universum autem Phylarchus plurima scripserat *εἰκῆ καὶ ὡς ἔτυχεν*, de quibus omnibus tamen dicere non huius loci esse Polybius arbitratus, de iis tantum agendum sibi putavit, quae

(1) L. II, c. 56—64.

in eius narratione de bello, quod dixi, reprehendenda haberet. *Ἔσται δὲ*, inquit, *πάντως ἀρκοῦντα ταῦτα πρὸς τὸ καὶ τὴν ὅλην αὐτοῦ προαίρεσιν καὶ δύναμιν ἐν τῇ πραγματείᾳ καταμαθεῖν.*

Et in hoc quidem maxime culpandum censebat Phylarchum, quod res tristes ubique exaggerasset, ac lectorem percellere et commovere, quam verum dicere, pluris fecisset. At tragici hoc est, inquit, non historici. In tragoedia enim oportet *διὰ τῶν πιθανωτάτων λόγων ἐκπλῆξαι καὶ ψυχαγωγῆσαι κατὰ τὸ παρὸν τοὺς ἀκούοντας*, in historia vero *διὰ τῶν ἀληθινῶν ἔργων καὶ λόγων εἰς πάντα τὸν χρόνον διδάξαι καὶ πεῖσαι τοὺς φιλομαθοῦντας.* Sed huius discriminis immemor Phylarchus quovis fere loco legentium animos miserarum rerum tragica et inflata descriptione agitare studuit. Sic Aratum, capta Mantinea, ita inhumane et crudeliter egisse queritur, ut omnium Graecorum lacrimae excitarentur. Sic porro diram aliquam et tristissimam, in quam Mantinenses incidisse ait, desperationem ita finxit, ut ad horum commiserationem, Arati vero detestationem lectores haud parum moveantur. Quod ut universe historico indignum est, ita in praesenti causa a vero plane abhorret. Tantum enim abest, ut saevus aut crudelis, capta Mantinea, fuerit Aratus, ut potius dubitet Polybius, an cuiquam mortalium clementior hostis contigerit umquam, quam contigit tunc Mantinensibus. Phylarchus itaque *οὐ μόνον ψεῦδος εἰσήνεγκε τὸ ὅλον, ἀλλὰ καὶ τὸ ψεῦδος ἀπίθανον.*

De Aristomacho quoque tragoedias movisse Phylarchum iudicat Polybius. Quem, quum in potestatem Antigoni Achaeorumque venisset, ab iisque tormentis cruciatus ac supplicio affectus fuisset, *ἀδικώτατα*

contendérat καὶ δεινότατα παθεῖν πάντων ἀνθρώπων. Sed Polybius totam Phylarchi de' huius viri fato sententiam, cum lectoribus communicatam, de industria refellendam sibi sumit, ac deinde, vehementer in Aristomachum invectus, summo iure eum fuisse occisum contendit. Huic igitur, qui vituperatione dignissimus esset, laudes tribuisse Phylarchum, neglecta in iudicando aequitate, cum praesertim idem ille generosi Megalopolitanorum animi, cuius hoc ipso tempore illustre documentum editum esset, ne mentionem quidem fecisset. At historici non est, sic pergit Polybius, mala tantum facinora narrare, praeclare quoque facta eum memorare oportet, iisque apponere τὸν ἔπαινον καὶ τὴν ἐπ' ἀγαθῷ μνήμην. At Phylarchus haec omnia secus egit, τυφλώττων, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖ, περὶ τὰ κάλλιστα καὶ μάλιστα συγγραφεῖ καθήκοντα τῶν ἔργων.

Neque haec iam sufficere arbitratus Polybius, plura etiam in Phylarcho culpavit. Hunc enim, rerum causis non declaratis, effecisse, ut saepe lectorum misericordia nullo iure excitaretur, utque discerent perverse de plerisque iudicare. Tum in aliis quoque rebus multa supra modum exaggerasse, saepe etiam sibi invicem contraria scripsisse, quae omnia Polybius, more suo, copiose explicuit selectisque speciminibus confirmavit.

At nullus est historicus, quem tam vehementer Polybius exagitaverit, quam Theopompum (1). Hunc enim et inconstantiae incusat et maledicentiae; qui quum in operis initio contendisset, parem Philippo virum in Europa exstitisse neminem, eundem postea

(1) L. VIII, c. 11 sqq., et cf. l. XVI, c. 12.

eiusque familiares quavis nequitiae spurcitiaeque labe adsperserit. Ipsa auctoris verba apponit Polybius (1), inque ea tam acriter invectus, ut μηδ' ὑπὸ λόγον πίπτειν affirmet, mox progreditur ad totum scriptionis Theopompeae consilium damnandum. Quae omnia ita dicta sunt, ut acerbius quidquam aut violentius scribi haud facile possit.

Erunt sine dubio, quibus haec Polybii iudicia de tribus, quos dixi, scriptoribus iniqua satis videantur, quique auctorem eodem illo asperitatis et iniustitiae crimine, quod in aliis carpit vehementer, haud leviter ipsum teneri existiment. Quorum sententiae equidem nihil opponam, qui complures viros doctos de Timaeo, Phylarcho, Theopompo mitius statuentes videam (2), nec partium studii et nimiae violentiae plane absolvere Polybium ausim (3). Sed his alio-

---

(1) *Αὐταῖς γάρ*, inquit c. 11, *λέξεσιν, αἷς ἐκεῖνος κέχρηται, κατατετάχαμεν.*

(2) Timaeum defendit Goellerus, *De situ et origine Syracusarum*, p. 187 sqq.; Phylarchum Luchtius in ed. fragm. Phyl. p. 20 sqq. et Lucas l. l. p. 54 sqq.; Theopompum Pflugkius, *De Theop. Chii vita et scriptis*, p. 60 sqq. et Eyssonius Wichers in ed. fragm. Theop. p. 50 et 253 sq. Adde quae alii pro aliis scriptoribus contra Polybium disputaverunt, et pro Fabio Io. Aug. Ernestius in *Opusc. Philol. Crit.* p. 102 sqq.

(3) Ne tamen data opera ea selegisse videar, in quibus acerbior censor fuit Polybius, apponere libet locum aliquem, ubi clementius iudicavit. Postquam enim dixit alicubi (l. III, c. 58 sq.), multa fabulosa, de geographicis praesertim, a veteribus esse narrata, eos tamen hoc nomine culpandos minime censet, quippe qui pleraque rectius accuratiusque scripturi fuissent, si iisdem, quibus posteriores, opportunitatibus frui potuissent. Itinerum enim suscipiendorum rationem antiquis temporibus fuisse molestissimam ac plurimis difficultatibus obnoxiam, linguarum etiam diver-

rum iudicio relictis, id quod nostrum est animadvertamus, effusam Polybii in disserendo licentiam. Quae si ad ea tantum excurreret, in quibus ipsa auctoris narratio a priorum traditis discederet, non erat, quod quis tantopere miraretur. Sed Polybius, ab alio ad aliud progressus, in ea quae a proposito suo quam maxime aliena sunt, haud raro exspatiatur. Cuius rei unum exemplum iis, quae supra iam dicta sunt, adiicere libet.

Locus est, quem volo, satis iucundus, ubi de Homero disputat (1). Hunc enim poetarum patrem non omnia mere finxisse iudicabat, sed res, quae certo veri fundamento niterentur, poetico vestitu ornasse; minime faciens cum Eratosthene, qui non inficete dixerat: *τότ' ἂν εὑρεῖν τινα, ποῦ 'Οδυσσεὺς πεπλάνηται, ὅταν εὕρῃ τὸν σκυτέα τὸν συῤῥάψαντα τὸν τῶν ἀνέμων ἀσκόν.* Quam iocosam potius quam veram sententiam postquam improbavit Polybius, allatis paucis fidei Homericae documentis, ita pergit ut poesin tribus ex partibus constare dicat, *ἐξ ἱστορίας, καὶ διαθέσεως, καὶ μύθου*, harum autem unicuique satisfecisse Homerum. Sed audiamus ipsum his verbis utentem: *τῆς μὲν οὖν ἱστορίας ἀλήθειά ἐστι τέλος· ὡς ἐν νεῶν καταλόγῳ τὰ ἑκάστοις τόποις συμβεβηκότα λέγοντος τοῦ ποιητοῦ, τὴν μὲν πετρήεσσαν, τὴν δὲ ἐσχατόωσαν πόλιν, ἄλλην δὲ πολυτρήρωνα,*

---

sitate grave impedimentum praebente. Quapropter antiquos illos non esse reprehendendos, imo vero laudandos, quod in ista praesidiorum inopia praeclara tamen effecissent. Sed hac aetate, qua omnia plana essent et facilia cognitu, melius quid iure postulari. Cf. h. l. l. III, c. 47 sq.

(1) L. XXXIV, c. 2 sqq.

τὴν δ' ἀγχίαλον· τῆς δὲ διαθέσεως, ἐνάργειά ἐστι τὸ τέλος· ὡς ὅταν μαχομένους εἰσάγῃ· μύθου δὲ, ἡδονὴ καὶ ἔκπληξις· τὸ δὲ πάντα πλάττειν, οὐ πιθανὸν, οὐδ' Ὁμηρικόν· τὴν γὰρ ἐκείνου ποίησιν φιλοσόφημα πάντες νομίζουσιν· οὐχ ὡς Ἐρατοσθένης φησὶ, κελεύων, μὴ κρίνειν πρὸς τὴν διάνοιαν τὰ ποιήματα, μηδ' ἱστορίαν ἀπ' αὐτῶν ζητεῖν.

Ita Polybius non tantum egit de scriptoribus, qui idem argumentum tractaverant, quod ipse habebat tractandum, verum subinde in aliorum quoque aestimationem divagatus est. Sed quid plura? Nihil enim attinet varias sententias cumulare de Fabio Pictore (1), de Philino (2), de Zenone (3) et Antisthene (4), de Ephoro (5), de Callisthene (6), de aliis denique permultis (7), de quibus fuse exposuit. Quem enim ille historicorum non iudicavit, quoties idoneam occasionem nactus sibi videretur?

---

(1) L. I, c. 14, 58; l. III, c. 8.

(2) L. I, c. 14 sq., l. III, c. 22 sqq.

(3) L. XVI, c. 14—21. Quo loco narrat, se ad Zenonem misisse epistolam, qua eum de erroribus ab ipso commissis certiorem fecisset; Zenonem autem illam epistolam benevole accepisse. Et ipse Polybius enixe rogat, idem de se ut fiat, ut sui sibi errores ostendantur, quo propius ad veritatem possit accedere. Cf. c. 20.

(4) Ibid.

(5) *Exc. Vatic.* p. 30 sq., p. 45 alibi.

(6) L. XII, c. 17—22.

(7) Sic ex. gr. de Chaerea et Sosilo, l. III, c. 20; de Pythea, Dicaearcho, Eratosthene, l. XXXIV, c. 5 sqq. Hos praesertim in geographicis reprehendit in fragmento, quod servavit Strabo, *Geograph.* l. II, p. 104 sqq.. Strabo vero ipsum Polybium in his refutavit et correxit, neque tamen Dicaearchum aut Eratosthenem probavit.

Post ea, quae de iudicio, ubique a Polybio interposito (1), dixi, exile foret, si adderem, innumeris quoque locis brevius eum opinionem suam enuntiare, dum aut πανὺ νουνεχῶς καὶ πραγματικῶς, aut ἡγεμονικῶς καὶ στρατηγικῶς factum quid affirmat, aut aliis rursus modis obiter, quid ipse de unaquaque re sentiat, significat. Haec enim parva sunt et tenuia, et illorum, quae supra explicui, ubertate ac gravitate facile vincuntur. His igitur missis, ad alia pergamus.

§ 3.

Monita et praecepta historiae innectit Polybius.

In tertia, de qua iam dicendum est, rationis pragmaticae parte hoc praestare voluit Polybius, quod reliquum esse putabat, ut suscepto a se docendi munere pleno atque omnibus numeris absoluto fungeretur. Quae enim hucusque memoravimus, eo cuncta spectabant, ut quaque re suis ex causis explicata certum aliquod de cuiusque bonitate aut vitio iudicium constaret. Neque vel sic tamen satis planum iter et expeditum Polybio videbatur, ut iam ipsi suo Marte lectores pervenire possent ad salubres illos experientiae fructus, in quibus tantum non unica historiae utilitas esset ponenda. Quapropter,

---

(1) Si quis alios locos desiderat, ubi iudicium suum de rebus cuiuscumque generis exposuit Polybius, evolvat l. I, c. 81, l. II, c. 42, l. IV, c. 30, 31, 74, 81, l. V, c. 75, l. IX, c. 21, l. XV, c. 21, 34, l. XVI, c. 40, l. XXVIII, c. 9, l. XXX, c. 4, 5, 7, 16, 18, l. XL, c. 5, *Exc. Vatic.* p. 68 sqq. cet.

quo promptius ac certius eo ducerentur, admovendam iis manum auxiliatricem ratus, innumeris paene locis monita ac praecepta narrationi immiscuit, ut ex rerum ante actarum intelligentia ad omnes vitae partes proficere discerent studiosi. Sic enim fore sperabat, ut constanter sibi ob oculos ponerent, »hoc »illud praecipue esse in cognitione rerum salubre ac »frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri »posita monumento intueri: inde tibi tuaeque rei »publicae quod imitere, capias; inde foedum ince»ptu, foedum exitu, quod vites" (1). Ne quis autem omnino foret, quin ab historiae lectione instructior discederet, Polybius hunc praecipiendi morem ita amplificavit, ut et prudentiam civilem ac politicam, et disciplinam militarem, et communia hominum officia complecteretur, subinde etiam peculiari monito certam aliquam civitatem compellaret. Quae omnia quo clarius appareant, de singulis breviter erit videndum.

I. *Praecepta politica et civilia.*

Iam supra exposui memorabilem illum locum e libro sexto, ubi agitur de societatis civilis origine et incrementis, de diversis imperii formis, deque mutabili earum natura; tum alterum etiam, ubi res publica Romana cum aliis civitatibus comparatur. In quibus disputationibus tanta omnium consensu elucet rerum civilium cognitio, tanta continetur sapientium observationum abundantia, ut vel his duobus locis ad politicos bene instituendos haud parum

(1) Verba Livii in Praefat.

contulisse Polybius dicendus sit. Neque tamen ipse haec sufficere existimabat, sed alibi quoque passim monitis suis historiam locupletavit, non illis quidem invicem cohaerentibus, at nihilo tamen minus cum certo docendi proposito insertis. Nos horum nonnulla exhibebimus, ipsis plerumque Polybii verbis; neque in eo multum laborabimus, ut artificioso quodam nexu singula coniungamus, quod et satis difficile foret, et ad historiae pragmaticae indolem depingendam prorsus supervacuum.

In unaquaque civitate hoc imprimis cavendum est, ne nimia potestas uni concedatur. Communi enim libertati ac iurium aequalitati nihil magis officit, nihil est perniciosius. Quod Polybius ita monuit: *οὐδέποτε γὰρ χρὴ — τηλικαύτην οὐδενὶ συγκατασκευάζειν δυναστείαν, πρὸς ἣν οὐδὲ περὶ τῶν ὁμολογουμένων ἐξέσται δικαίων ἀμφισβητεῖν* (1). Nam si is, cui talis licentia tribuitur, ea abusus, arbitrio suo omnia regere aggrediatur, verendum est ne libera civitas sua ipsius imprudentia tyrannidi fiat subiecta: *ταύτης δὲ μείζω κατηγορίαν ἢ πικροτέραν οὐδ' ἂν εἰπεῖν ῥᾳδίως δύναιτ' οὐδείς· αὐτὸ γὰρ τοὔνομα περιέχει τὴν ἀσεβεστάτην ἔμφασιν, καὶ πάσας περιείληφε τὰς ἐν ἀνθρώποις ἀδικίας καὶ παρανομίας* (2). Hoc autem si severius et acerbius iudicatum sit, at libenter agnoscimus »civilis spiritum li»bertatis" (3) in Polybio superstitem. Qui quum a tyrannide maxime abhorreret, leges contra et disciplinam quovis pretio aestimabat, et eiusmodi qui-

---

(1) L. I, c. 83.
(2) L. II, c. 59.
(3) Verba Wyttenbachii in Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. XVII.

dem, »quae et civis cuiusque vitam privatim san- »ctam redderent et castam, et publica civitatis insti- »tuta mansueta atque iusta" (1). Virtutem enim ac iustitiam ubique commendat Polybius, quae, ut singulorum hominum, ita rerum quoque publicarum pulcerrima ornamenta censeret. Testis est ipse, quum, exposita Romanorum aviditate in magnifica illa Syracusarum supellectile Romam transferenda, potius debuisse eos statuit *ἐνδοξοτέραν ποιεῖν τὴν σφετέραν πατρίδα, μὴ γραφαῖς καὶ τύποις, ἀλλὰ σεμνότητι καὶ μεγαλοψυχίᾳ κοσμοῦντες αὐτήν* (2). Eamque sententiam hoc monito concludit: *οὐ μὴν ἀλλὰ ταῦτα μὲν εἰρήσθω μοι χάριν τῶν μεταλαμβανόντων ἀεὶ τὰς δυναστείας· ἵνα μὴ, σκυλεύοντες τὰς πόλεις, κόσμον ὑπολαμβάνωσιν εἶναι ταῖς ἑαυτῶν πατρίσι τὰς ἀλλοτρίας συμφοράς.*

Ad politicorum prudentiam hoc quoque, iudice Polybio, requiritur, ut iisdem artibus tueri imperia nitantur, quibus comparaverint: *κάλλιστα γὰρ φυλάττουσι τὰς ὑπεροχὰς, οἱ μάλιστα διαμείναντες ἐπὶ τῶν αὐτῶν προαιρέσεων, αἷς ἐξ ἀρχῆς κατεστήσαντο τὰς δυναστείας· καί τοί γε προφανοῦς ὄντος, καὶ ἐπὶ πολλῶν ἤδη τεθεωρημένου, διότι κτῶνται μὲν ἄνθρωποι τὰς εὐκαιρίας, εὖ ποιοῦντες καὶ προτεινόμενοι τὴν ἀγαθὴν ἐλπίδα τοῖς πέλας· ἐπειδὰν δὲ τῶν ἐπιθυμουμένων τυχόντες κακῶς ποιῶσι, καὶ δεσποτικῶς ἄρχωσι τῶν ὑποτεταγμένων, εἰκότως ἅμα ταῖς τῶν προεστώτων μεταβολαῖς συμπίπτουσι καὶ τῶν ὑποταττομένων αἱ προαιρέσεις* (3).

(1) L. VI, c. 47.

(2) L. IX, c. 10. Sic paullo supra dixerat: *οὐκ ἐκ τῶν ἔξω κοσμεῖται πόλις, ἀλλ' ἐκ τῆς τῶν οἰκούντων ἀρετῆς.*

(3) L. X, c. 36.

Sed hoc etiam summo studio tenendum est, ne quis prospera fortuna usus in ignavam negligentiam se remittat, sed adversam quoque sortem semper prospiciat, eaque procuret, quae necessaria aliquando esse possint. Quod ut omnes decet, ita civitatium administratores omnium maxime. Neque Polybius hoc praetermisit, sed diligenter hortatus est eos, qui in rebus publicis gerendis versantur, ut futuri rationem numquam non habeant, curamque gerant, ne incauti calamitatibus occupentur (1).

Hanc autem in rebus providendis cautionem alio loco commendans, peculiare praeceptum ponit hoc, ut qui rebus civilibus praesint, eorum, quibuscum societatem aut foedus ineant, animos habeant exploratos, ne postea male creduli decipiantur. Haec sunt eius verba: *διὸ καὶ τοὺς ἐπὶ πραγμάτων ταττομένους χρὴ τῶν τοιούτων οὐδενὸς μᾶλλον φροντίζειν, ὥστε μὴ λανθάνειν τὰς προαιρέσεις τῶν διαλυομένων τὰς ἔχθρας, ἢ συντιθεμένων τὰς φιλίας, πότε τοῖς καιροῖς εἴκοντες, καὶ πότε ταῖς ψυχαῖς ἡττωμένοι ποιοῦνται τὰς συνθήκας· ἵνα τοὺς μὲν ἐφέδρους νομίζοντες εἶναι τῶν καιρῶν, ἀεὶ φυλάττωνται· τοῖς δὲ πιστεύοντες, ὡς ὑπηκόοις ἢ φίλοις ἀληθινοῖς, πᾶν τὸ παραπίπτον ἐξ ἑτοίμου παραγγέλλωσιν* (2). In qua societatis ineundae cura simul hoc tenendum esse statuit: *τοὺς βασιλεῖς φύσει μὲν οὐδένα νομίζειν οὔτε ἐχθρὸν οὔτε φίλον, ταῖς δὲ τοῦ συμφέροντος ψήφοις ἀεὶ μετρεῖν τὰς ἔχθρας καὶ τὰς φιλίας* (3).

Alio loco monuit Polybius, qua via ac ratione

(1) L. XI, c. 2.
(2) L. III, c. 12.
(3) L. II, c. 47.

tumultus et seditiones e civitate possint arceri, pax interna et quies integrae conservari. Difficillima sane haec est res et gravissima, requiritque *μεγάλην ἐπιδεξιότητα καὶ διαφέρουσαν ἀγχίνοιαν*. Sed unum tamen est praeceptum, *ὃ πᾶσιν ἁρμόσει καὶ στρατοπέδοις, καὶ πόλεσι, καὶ σώμασιν, ὡς ἐμὴ δόξα*. Quod praeceptum eo continetur, ut oporteat in civitate plebis multitudinem, in castris milites, *μηδέποτε ἐᾷν ἐπὶ πολὺ ῥαθυμεῖν καὶ σχολάζειν· ἥκιστα δ' ἐν ταῖς εὐροίαις τῶν πραγμάτων, καὶ ἐν ταῖς δαψιλείαις τῶν ἐπιτηδείων* (1).

Uti omnes universe homines ad virtutem excitat Polybius et morum humanitatem, ita reges imprimis et rerum publicarum gubernatores ad optima quaeque cohortatur, ut liceat iis, quod omnium pulcerrimum sit, *πάντας εὖ ποιοῦντας, διὰ τὴν εὐεργεσίαν καὶ φιλανθρωπίαν ἀγαπωμένους, ἑκόντων ἡγεῖσθαι καὶ προστατεῖν* (2). Quae verba, animi bonitatis indicia manifesta, cui non in memoriam revocant aureum illud monitum, quod coram Scipioni dedisse Polybius fertur: »quoties foras prodisset, ne »domum prius rediret, quam aliquem sibi benefa»ciendo amicum adiunxisset" (3)?

II. *Praecepta militaria.*

Classicus locus est, ubi Polybius de ipso hoc argumento data opera exposuit, historiae intexta dis-

(1) L. XI, c. 25.

(2) L. V, c. 11.

(3) Plutarchus in Apophthegm.

quisitione *de partibus artis imperatoriae* (1). Quo quidem loco primarium omnium praeceptum ponit hoc: *σὺν νῷ πράττειν τὸ προτεθέν.* Reliqua vero, quae ad hunc tamquam fontem referuntur, his verbis comprehendit: *πάσης δὴ πράξεως ἐχούσης καιρὸν ὡρισμένον, καὶ διάστημα, καὶ τόπον, καὶ προσδεομένης τοῦ λαθεῖν, καὶ συνθημάτων ὡρισμένων, ἔτι δὲ καὶ δι' ὧν, καὶ μεθ' ὧν, καὶ τίνι τρόπῳ πραχθήσεται: φανερὸν, ὡς ὁ μὲν ἑκάστου τούτων εὐστοχήσας, οὐχ ἁμαρτήσεται τῆς ἐπιβολῆς. ὁ δ' ἑνὸς ὀλιγωρήσας, σφαλήσεται τῆς ὅλης προθέσεως. Οὕτως ἡ φύσις πρὸς τὰς ἀποτυχίας τῶν ἐπινοηθέντων ἱκανὸν ἓν καὶ τὸ τυχὸν ἐποίησε τῶν κατὰ μέρος. πρὸς δὲ τὸ κατορθοῦν μόλις ἱκανὰ πάντα.* Primum igitur imperatoris est, *μηδενὸς ἀφροντιστεῖν*, ac singulis diligenter observatis prospicere, ne quid accidat necopinati, quod *πρόθεσιν* suam, quae fixa et certa habenda est, fallere aut evertere possit. Sed praeterea hoc cavendum est, ne quis consilia sua aliis aperiat, at prudenter ea occultet, donec adsit rei gerendae tempus. Neque voce tantum silere debet dux, sed vultu quoque ipsoque animo, quod, ut difficillimum, ita in re bellica imprimis necessarium est, ne proposita imperatoris ab adversariis excepta successu careant.

Sed praeter callidam hanc et providam cautionem cognitionis etiam ubertate instructus sit imperator. Locorum enim naturam, itinerum intervalla, temporum opportunitatumque rationes, hominum denique indolem ita explorata tenere debet, ut ad quae-

---

(1) L. IX, c. 12—21. Ex quo loco excerpta sunt omnia quae sequuntur, donec novum locum indicabo.

que gerenda semper in promptu paratus sit. Quae omnia quum tribus modis discantur, vel doctrina ac studio, vel ex historia, vel ex propria experientia, harum partium nulla imperatori desit. Geometriam praesertim et Astrologiam probe sciat, ut coeli conversiones, lunae stellarumque positiones, partes denique noctis ac diei accurate cognoscere possit et ratiocinando praedicere. *Οὐ γὰρ οἷόν τε τοῦ τέλους τυγχάνειν, μὴ οὐ τῆς ἀρχῆς εὐστοχήσαντα.* Quo nomine laudandus Homerus, qui horum omnium peritissimum Ulyssem depinxerit. Neque enim, si ex his unum aliquod praefecto militari desit, rem bene gerere ullo modo poterit. Testis sit Aratus, qui suis ipse erroribus ad oppidum Cynaetham quod voluit non assecutus est, testes porro Cleomenes, Philippus Niciasque Atheniensis, qui omnes ipsorum aut imperitia aut negligentia spe sua exciderunt.

Hoc fere modo disputat Polybius, ac singula copiose exponit et exempla allata illustrat, *οὐκ ἐκ παρέργου καὶ διεῤῥιμμένως, ἀλλ' ἐξ ἐπιστάσεως* (1). Porro, quum Philippi ad Melitaeam error in eo constitisset, quod scalis iusto brevioribus usus fuisset, oblata sibi occasione utitur Polybius, ut totum illud scalarum commetiendarum negotium enucleate explicet (2), unde discerent belli duces, quomodo in tali causa ipsis agendum esset. Quandoquidem autem et ad hoc, et ad castra metanda, et ad alias res summi momenti Geometriae peritia necessario re-

---

(1) Uti ipse alia in causa dicit, l. III, c. 58.

(2) Quod pollicitus erat l. V, c. 98, quo loco de Melitaea oppugnata agebat.

quiritur, iterum hanc artem imperatoribus valde commendat.

Alii loci multi sunt, quibus salutaria in hoc genere praecepta Polybius tradidit. Sic prudentiam et cautionem saepius praedicat, temeritatem condemnat, et instituta aliquando Hannibalem inter et Epaminondam comparatione, haec ait: *ταῦτα μὲν οὖν — εἴρηταί μοι — χάριν τῶν ἡγουμένων, καὶ τῶν μετὰ ταῦτα μελλόντων χειρίζειν παρ' ἑκάστοις τὰς κοινὰς πράξεις· ἵνα τῶν μὲν ἀναμιμνησκόμενοι, τὰ δ' ὑπὸ τὴν ὄψιν λαμβάνοντες, ζηλωταὶ γίγνωνται [τῶν τοιούτων, οὐχ οὕτως ὅσα δοκεῖ] παράβολον ἔχειν τι καὶ κινδυνῶδες, τοὐναντίον δὲ ἀσφαλῆ μὲν τὴν τόλμαν, θαυμασίαν δὲ τὴν ἐπίνοιαν, ἀείμνηστον δὲ καὶ καλὴν ἔχει τὴν προαίρεσιν καὶ κατορθωθέντα, καὶ διαψευσθέντα παραπλησίως, ἐὰν μόνον σὺν νῷ γένηται τὰ πραττόμενα* (1). Et eandem fere sententiam exhibet alibi, ubi *ἡγεμόνος ἔργον ἀγαθοῦ* appellat *τὸ μηδέποτε χωρὶς προθέσεως, μηδ' ἐκ πάσης ἀφορμῆς ποιεῖσθαι τοὺς ὁλοσχερεῖς κινδύνους* (2). Quapropter, ut prudenter Scipio monere solebat, non id tantopere enitendum est, ut quis hostes laedat, verum ut sibi ipse parcat: *πλείω γὰρ δεῖ ποιεῖσθαι πρόνοιαν τοῦ μηδὲν παθεῖν, ἢ τοῦ δρᾶσαι κακῶς τοὺς ἐχθρούς* (3), quod alio loco sic ait: *μὴ τοιαύτην δεῖ ποιεῖσθαι σπουδὴν ὑπὲρ τοῦ βλάψαι τοὺς πολεμίους, ἡλίκην ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αὐτοὺς παθεῖν δεινόν* (4).

---

(1) L. IX, c. 9. Quae verba h. l. uncis inclusi, a Casaubono addita sunt ad implendam lacunam manifestam; eaque Schweighaeuserus in textum recepit.

(2) L. III, c. 69.

(3) L. XXXVI, c. 6.

(4) L. III, c. 94.

Sed *κυριώτατον μέρος τῆς στρατηγίας* situm est *ἐν τῷ γνῶναι τὴν προαίρεσιν καὶ φύσιν τοῦ τῶν ἐναντίων ἡγεμόνος* (1). Quum enim imperatores alii ignavi sint et timidi, alii Baccho Venerique dediti, magni interest ut quis adversariorum ducem accurate observet, eumque sic ea ex parte aggredi studeat, qua debilis sit, quaque facillima opera aut occupari possit aut capi imprudens.

Ut autem pateat, quid potissimum in belli duce reprehenderit Polybius, apponemus haec ipsius verba: *καὶ μὴν δειλία καὶ βλάκεια, κατ᾽ ἰδίαν μέν, αὐτοῖς ὄνειδος ἐπιφέρει τοῖς ἔχουσι· περὶ δὲ τὸν τῶν ὅλων ἡγεμόνα γενομένη, κοινόν ἐστι καὶ μέγιστον συμπτωμάτων· οὐ γὰρ μόνον ἀπράκτους ποιεῖ τοὺς ὑποταττομένους, πολλάκις δὲ καὶ κινδύνους ἐπιφέρει τοὺς μεγίστους τοῖς πεπιστευκόσι· προπέτειά γε μὴν καὶ θρασύτης καὶ θυμὸς ἄλογος, ἔτι δὲ κενοδοξία καὶ τύφος, εὐχείρωτα μὲν τοῖς ἐχθροῖς, ἐπισφαλέστατα δὲ τοῖς φίλοις· πρὸς γὰρ πᾶσαν ἐπιβουλήν, ἐνέδραν, ἀπάτην ἕτοιμος ὅ γε τοιοῦτος* (2).

Longum est omnia percurrere quae ad hoc argumentum pertinent. Tam enim frequenter in historia Polybiana istiusmodi praecepta occurrunt, ut delectum faciant difficilem. Sic ex. gr. hortatur, ne in periculorum discrimen temere dux se ipse proiiciat, quippe a cuius vita saepe pendeat totius exercitus salus (3). Sic rursus monet, ut, quod Scipio solebat, minores praefectos singulos saepe visat, doceat, incitet: *οὐδὲν γὰρ ἀναγκαιότερόν ἐστι τῆς τῶν κατὰ μέρος ἡγεμόνων*

---

(1) L. III, c. 81.

(2) Ibid.

(3) L. X, c. 32 sq.

ἐμπειρίας (1). Et sic saepe in ipso narrationis aut disputationis cursu, dum male quid actum esse contendit, aut bene, addit insuper, quid agi oportuisset, ut res bene cessisset, aut rursus *qua in re* recte actum fuerit. Ita in pugna, ut hoc exemplo utar, Cleomenem inter et Antigonum commissa, dum imperite Euclidem egisse scribit, simul docet, quid periti ducis officium hoc loco postulasset (2). Similiter, ubi narravit insidias ab Hannibale in plano campo sub virgultis positas esse, hanc eius rationem comprobat, ac loca silvestria insidiis minus apta esse demonstrat (3).

Quamquam autem pro consilio nostro iam satis multa huiusmodi praecepta contulisse videmur, unum tamen adhuc commemorare libet, ut appareat, qua fuerit Polybius in his quoque bellicis rebus humanitate. Iniuste enim et turpiter agere statuit istos belli duces, qui irae suae ita indulgeant, ut hostium agros depopulentur, fruges vastent, quod magis furenti multitudini conveniat, quam prudenti aut honesto imperatori. *Ἀλλά μοι δοκοῦσιν*, inquit, *μεγαλείως ἀγνοεῖν οἱ ταῦτα πράττοντες· καθόσον γὰρ ὑπολαμβάνουσι καταπλήττεσθαι τοὺς πολεμίους λυμαινόμενοι τὴν χώραν, καὶ παραιρούμενοι πάσας, οὐ μόνον τὰς κατὰ τὸ παρὸν, ἀλλὰ καὶ τὰς εἰς τὸ μέλλον ἐλπίδας τῶν πρὸς τόν βίον ἀναγκαίων, κατὰ τοσοῦτον ἀποθηριοῦντες τοὺς ἀνθρώπους, ἀμετάθετον ποιοῦσι τὴν πρὸς αὐτοὺς ὀργὴν τῶν ἅπαξ ἁμαρτόν-*

(1) L. X, c. 21.
(2) L. II, c. 68.
(3) L. III, c. 71.

των (1). Quae verba utinam posteri semper fuissent recordati!

Ex iis, quae retuli, exemplis satis, credo, intelligitur, quae fuerit Polybii in his praeceptis militaribus adiiciendis ratio. Nec igitur mirum est, historiam Polybianam et antiquitus a belli ducibus assidue fuisse tritam, et nostra quoque aetate, in tanta rei tacticae mutatione, artium militarium studiosis vehementer commendari.

III. *Praecepta moralia universe.*

Ut viri in publicis domi forisque rebus gerendis versantes, nulla fortasse meliori institutione frui possunt, quam ea quae ex rerum ante actarum cognitione petatur, ita privatis etiam historia praebet egregia ad vitam bene regendam incitamenta. Aliorum enim exemplo discere, uniuscuiusque est sana mente non destituti. Nam, ut Polybii ratiocinatione utamur (2), quum duae sint viae, quibus quis ad meliora sectanda duci possit, altera ut suis ipse calamitatibus admoneatur, altera ut ex alienis casibus sapere discat, illa certe evidentior est, at haec longe tutior et commodior. Quapropter illa, quae cum gravissimis aerumnis coniuncta sit, a nemine sua sponte est ineunda, haec vero ab omnibus eligenda, quippe quae sine ullo labore aut periculo ad prudentiam ferat: *τούτῳ γὰρ διαφέρουσιν οἱ ἀνόητοι τῶν νοῦν ἐχόντων, διότι συμβαίνει τοὺς μὲν ἐν ταῖς ἰδίαις ἀτυχίαις παιδεύεσθαι, τοὺς δὲ ἐν ταῖς τῶν πέλας* (3).

(1) Excerpta e l. XXV, in *Exc. Vatic.* p. 64 sq.
(2) Imitati sumus locum, qui legitur l. I, c. 35.
(3) Excerpta e l. XXX, in *Exc. Vatic.* p. 83.

Quam sententiam quoties lectoribus in memoriam revocaverit Polybius, dici vix potest. Sic enim existimabat, hoc esse praeceptum unum omnium efficacissimum, ad quod reliqua tamquam ad fontem essent referenda.

Pertinet huc locus gravissimus, ubi agit Polybius de rebus secundis aequabili animo ferendis, auctoritate ducta e fato Achaei, qui, in prospero rerum cursu exsultans, per suam ipse imprudentiam captus esset ab Antiocho et supplicio affectus. Hunc igitur utile futuris hominibus exemplum praebuisse iudicat *πρὸς τὸ μὴ μεγαλαυχεῖν ἐν ταῖς εὐπραγίαις, πᾶν δὲ προσδοκᾶν ἀνθρώπους ὄντας* (1). Fortunam enim mutabilem admodum esse et in sua tantum levitate constantem, quaeque vel in summo fastigio locatum ad infima deiicere subito valeat. Cuius rei vim penitus percepisse Scipionem, quum Asdrubalem, Carthaginiensium imperatorem, ante pedes suos humiliter prostratum conspiciens, haec praeclare diceret: *τίς οὐκ ἂν ταῦτα ὑπὸ τὴν ὄψιν θεασάμενος ἐν νῷ λάβοι, διότι δεῖ μηδέποτε λέγειν μηδὲ πράττειν μηδὲν ὑπερήφανον ἄνθρωπον ὄντα* (2);

Haec autem si quis in animo suo reputet, sapienter profecto agere dicendus est ille, qui, fortunae diffisus, rerum suarum futurae forte in peius mutationi caute prospiciat: *τὸ γὰρ πρόχειρον ἔχειν ἐν ταῖς ἐπιτυχίαις τὴν τῆς τύχης ἐπισφάλειαν, ἀνδρός ἐστι μεγάλου καὶ τελείου καὶ συλλήβδην ἀξίου μνήμης* (3). Qui vero, hac necessaria cautione neglecta,

---

(1) L. VIII, c. 23.

(2) Excerpta e l. XXXIX, in *Exc. Vatic.* p. 116.

(3) Ibid. p. 117.

per suam temeritatem aut incogitantiam in calamitates inciderit, ille ita peccasse censendus est, ut vix misericordia, nedum venia dignus videatur. At si quis contra, nulla sui culpa, infortunio obruatur plane necopinato, is non tantum non reprehendendus erit, sed paratum quoque auxilium merebitur. *Τὸ μὲν γάρ*, sic enim ait Polybius, *ἀνθρώπους ὄντας, παραλόγως περιπεσεῖν τινὶ τῶν δεινῶν, οὐ τῶν παθόντων, τῆς τύχης δὲ, καὶ τῶν πραξάντων, ἐστιν ἔγκλημα· τὸ δ' ἀκρίτως καὶ προφανῶς περιβαλεῖν αὐτοὺς ταῖς μεγίσταις συμφοραῖς, ὁμολογούμενόν ἐστι τῶν πασχόντων ἁμάρτημα· διὸ καὶ τοῖς μὲν ἐκ τύχης πταίουσιν, ἔλεος ἕπεται μετὰ συγγνώμης, καὶ ἐπικουρία· τοῖς δὲ διὰ τὴν αὐτῶν ἀβουλίαν, ὄνειδος καὶ ἐπιτίμησις συνεξακολουθεῖ παρὰ τοῖς εὖ φρονοῦσιν* (1). Hoc igitur firmiter teneant, quicumque salutari prudentia uti velint, *μηδέποτε βουλεύεσθαι περὶ τοῦ μέλλοντος, ὡς ἤδη γεγονότος· μηδὲ προκατελπίζειν βεβαιουμένους ὑπὲρ ὧν ἀκμὴν ἐνδεχόμενόν ἐστιν ἄλλως γενέσθαι· νέμειν δὲ μερίδα τῷ παραδόξῳ, ἀνθρώπους ὄντας* (2).

At praeter haec aliud quoque praeceptum est, cuius numquam oblivisci deceat hominem prudentem. Et docet hoc eiusdem, de quo modo dictum est, Achaei exemplum, ut nempe quis cautus sit ac circumspectus in fide aliis habenda. Nam quum permulta saepe dolo et fallaciter agi soleant, metuendum est ne levior in fide collocanda facilitas misera mala bono homini excitet. Quapropter salubre monitum hoc est: *μηδενὶ πιστεύειν ῥᾳδίως* (3).

(1) L. II, c. 7.
(2) L. II, c. 4.
(3) L. VIII, c. 23.

Sed ea fides, ut caute praestanda, ita, ubi semel praestita sit, constanter servanda est; ut foederum et societatium vincula firme maneant adstricta. Hinc est quod Polybius, enarrata alicubi Megalopolitanorum constanti erga Achaeos fide, hanc posteris commendaturus ita scribit: *οὐ τί κάλλιον ἔργον ἢ γέγονεν, ἢ γένοιτο; ἐπὶ τί δ' ἂν μᾶλλον συγγραφεὺς ἐπιστῆσαι τοὺς ἀκούοντας; διὰ τίνος δ' ἔργου μᾶλλον ἂν παρορμῆσαι πρὸς φυλακὴν πίστεως καὶ πρὸς ἀληθινῶν πραγμάτων καὶ βεβαίων κοινωνίαν* (1); Quibus verbis hoc simul luculentissime declaravit, quantopere hoc ipsum, ut data occasione lectores moneret, proprium ac necessarium historici officium esse putaret.

Alio loco Polybius, de pacis commodis agens, sic iudicat, eam inter optima bona summo iure haberi, neque tamen ita semper appetendam esse, ut eius causa ab honesto et decoro discedatur. De quo argumento postquam nonnulla disputavit, hanc sententiam adiicit, cuius omnes in posterum et publice et privatim memores fore cupiebat: *εἰρήνη γὰρ μετὰ μὲν τοῦ δικαίου, καὶ πρέποντος, κάλλιστόν ἐστι κτῆμα καὶ λυσιτελέστατον· μετὰ δὲ κακίας ἢ δουλείας ἐπονειδίστου, πάντων αἴσχιστον καὶ βλαβερώτατον* (2).

Plurima huius generis praecepta e libris Polybianis cumulare non ita difficile est, at supervacuum prorsus. Quisquis enim eos vel obiter inspiciat, statim talia multa reperiet, modo breviora, modo longiora, modo rerum narratarum aut disquisitarum cursui ita intertexta, ut distrahi inde ac singulatim

---

(1) L. II, c. 61.
(2) L. IV, c. 31.

exponi nequeant, modo distinctius adiecta et per totum opus, tamquam gemmae clarissimae, dispersa. Quam certo autem consilio haec omnia scriptor ad legentium utilitatem referre in animo haberet, haud dubie patet cum ex aliis permultis locis, quos supra vidimus, tum ex eo quoque, ubi, damnata Polyarati ac Dinonis imprudentia, mollitie, timiditate, hoc modo pergit: *τίνος οὖν χάριν τὸν πλείω λόγον πεποίημαι περὶ Πολυαράτου καὶ Δείνωνος; οὐχ ἵνα συνεπεμβαίνειν δόξω ταῖς ἐκείνων ἀτυχίαις, καὶ γὰρ ἄτοπόν γε τοῦτο τελέως· ἀλλ' ἵνα, φανερὰν ποιήσας τὴν ἐκείνων ἀβουλίαν, βέλτιον παρασκευάσω καὶ βουλεύεσθαι καὶ φρονεῖν τοὺς κατὰ τὰς περιστάσεις εἰς παραπλησίους ἐμπίπτοντας καιρούς* (1).

Tale studium erat in Polybio docendi homines eorumque mores emendandi. Cuius viri praecepta si in unam tamquam summam essent contrahenda, ecquid aptius posset citari quam pulcerrimum illud: »ne quid honesto praeferatur"? *Δοκοῦσι γάρ μοι*, inquit, *οἱ γνήσιοι τῶν ἀνδρῶν, καὶ κοινῇ, καὶ κατ' ἰδίαν, οὐδέποτε περὶ πλείονος οὐδὲν ποιεῖσθαι τοῦ καθήκοντος* (2). Unde non iniuria scripsit Casaubonus: »Scias vera virtute fuisse praeditum, qui causam scribendi solam habuerit publicam utilitatem »et errores vitae corrigendi desiderium (3)."

---

(1) L. XXX, c. 9.

(2) L. IV, c. 3. Referri huc quoque possunt breviores illae sententiae, in historia Polybiana innumeris locis obviae, ut l. IV, c. 34, 35, l. V, c. 26, l. VI, c. 59, l. VIII, c. 14, 38, l. IX, c. 40, l. XVI, c. 10, l. XVIII, c. 23, 26, sexcenties alibi.

(3) In Dedicat. laud. p. XXII.

IV. *Praecepta singulis civitatibus dicta.*

Reliquum est ut de peculiaribus illis praeceptis ac monitis videamus, quibus singulas civitates subinde Polybius compellavit. Quod eiusmodi fere esse solet, ut, narrato aliquo huius illiusve populi errore aut turpi facinore, in eo improbando diutius haereat, addatque haec ideo fusius a se explicata esse, ut eorum, quos reprehendat, posteri melius rem gerere discant. Cuius rei unum alterumque exemplum breviter erit commemorandum.

Exposuimus supra memorabilem excursum de caussis cur morum ferocitate tantopere a reliquis Arcadibus abhorrerent Cynaethenses. Postquam autem ostendit, musices neglectui hoc esse imputandum, copiosam hanc disquisitionem ita concludit, ut moneat Cynaethenses, meliora in posterum sequantur, salutaribus experientiae praeceptis in usum suum conversis. Haec sunt eius verba: *ταῦτα μὲν οὖν ἡμῖν εἰρήσθω, χάριν τοῦ μὴ διὰ μίαν πόλιν τὸ κοινὸν ἦθος διαβάλλεσθαι τῶν Ἀρκάδων· ὁμοίως δὲ καὶ, τοῦ μὴ, νομίσαντας ἐνίους τῶν κατοικούντων τὴν Ἀρκαδίαν περιουσίας χάριν τὰ κατὰ μουσικὴν ἐπὶ πλεῖον ἀσκεῖσθαι παρ᾽ αὐτοῖς, ὀλιγωρεῖν ἐγχειρῆσαι τούτου τοῦ μέρους· ἔτι δὲ καὶ Κυναιθέων ἕνεκα· ἵν᾽, ἄν ποτ᾽ αὐτοῖς ὁ Θεὸς εὖ δῷ, τραπέντες πρὸς παιδείαν, ἡμερώσειαν αὐτοὺς, καὶ μάλιστα ταύτης πρὸς μουσικήν· οὕτω γὰρ μόνως ἂν λήξαιεν τῆς τότε περὶ αὐτοὺς γενομένης ἀγριότητος* (1).

Similiter alio loco Messeniorum et Arcadum causa satis fuse disputavit. Nam quum Messenii, Lacedae-

(1) L. IV. c. 21.

moniis simul et Arcadibus finitimi, illis inimicissimi essent, his amicissimi, neque tamen aperte cum his societatem inire vellent, illos pro hostibus habere, saepe in magnas calamitates adducti sunt. Lacedaemoniis enim bello aliquo aut seditione implicitis, tuti quidem erant ac securi; simulac vero illi suis curis expediti essent, hi gravissima quaeque pati debebant, dum neglexerant socios sibi adsciscere, in quibus fidum ac certum praesidium haberent. Quae res ut periculosa iis erat et molestiarum plena, ita imprudenter administrata esse Polybio videbatur. Quocirca, quum sortem illorum nihilo minus cordi haberet, sic simul optat et suadet: *εἴη μὲν οὖν οἱονεὶ συμφῦναι τὴν νῦν ὑπάρχουσαν κατάστασιν Πελοποννησίοις, ἵνα μηδενὸς δέῃ τῶν λέγεσθαι μελλόντων· ἐὰν δέ ποτε κίνησιν καὶ μετάστασιν σχῇ ταῦτα, μίαν ὁρῶ Μεσσηνίοις καὶ Μεγαλοπολίταις ἐλπίδα τοῦ δύνασθαι νέμεσθαι τὴν αὐτῶν χώραν τὸν πλείω χρόνον· ἐὰν, συμφρονήσαντες, κατὰ τὴν Ἐπαμινώνδου γνώμην, παντὸς καιροῦ καὶ πράγματος ἕλωνται κοινωνεῖν ἀλλήλοις ἀληθινῶς* (1). Et porro, postquam ea quae dixerat exemplis, ex ipsorum historia petitis, comprobavit, hoc eos monito alloquitur: *ταῦτα μὲν οὖν εἰρήσθω μοι χάριν Ἀρκάδων καὶ Μεσσηνίων· ἵνα, μνημονεύοντες τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς περὶ τὰς πατρίδας ἀτυχημάτων ὑπὸ Λακεδαιμονίων, ἀληθινῶς ἀντέχωνται τῆς πρὸς αὐτοὺς εὐνοίας καὶ πίστεως· καὶ μήτε φόβον ὑφορώμενοι, μήτ' εἰρήνης ἐπιθυμοῦντες, ἐγκαταλίπωσιν ἀλλήλους ἐν ταῖς ὁλοσχερέσι περιστάσεσι* (2).

---

(1) L. IV, c. 32.

(2) Ibid. c. 33.

Huc referendus alius locus est, ubi, laudata Acarnanum in fide servanda constantia et integritate, hortatur ceteros omnes, ne cum illis in societatem venire dubitent, si quando ita ferat temporis ac rerum opportunitas. *Οἷς*, sic enim ait, *οὐκ ὀκνητέον κατὰ τὰς περιστάσεις κοινωνεῖν πραγμάτων, σπευστέον δὲ μᾶλλον, εἴ καί τισιν ἑτέροις τῶν Ἑλλήνων· καὶ γὰρ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ στάσιμον ἔχουσί τι καὶ φιλελεύθερον* (1).

Non explicabimus hoc loco, quomodo Polybius reprehenderit Eleos, quod pretiosum illud *ἀσυλίας* privilegium, quo antea fuerant gavisi, indigna socordia neglexissent; eosque admonuerit, ut, quod hac temporum conditione fieri facile posset, recuperare illud omnibus viribus niterentur (2). Neque nunc exponemus monitum, quod Graecarum civitatium causa dedit, de dandis accipiendisque muneribus (3); sed ultimo loco audiamus Polybium, patriae amantissimum civem, hanc, ut graviter erat afflicta, adhortantem.

Versabatur enim Graecia in tam misero rerum statu, ut vel Carthaginis devictae dirutaeque sors minus tristis Polybio videretur (4). Qui quum secum reputaret maximas, quas umquam passa erat Graecia, calamitates, nullam inveniebat praesenti aerumna graviorem. Neque tamen ideo spem demisit, fore ut aliquando res in melius verterentur, dummo-

(1) L. IV, c. 30.
(2) Ibid. c. 74.
(3) L. V, c. 90.
(4) Ut ipse dicit eo loco, quem hic expressimus, quique occurrit in excerptis l. XXXVIII, *Exc. Vatic.* p. 108—113.

do cives recta consilia caperent, eaque vitarent, quae hucusque male commisissent. Non enim is erat Polybius, qui in suorum peccatis conniveret, at libere de iis exposuit, ut ex praeteritorum memoria de futuris prudentius ageretur. *Ὑπὲρ ὧν*, inquit ipse, *οὐ δεήσει θαυμάζειν ἐὰν παρεκβαίνοντες τὸ τῆς ἱστορικῆς διηγήσεως ἦθος, ἀποδεικτικωτέραν καὶ φιλοτιμοτέραν φαινώμεθα ποιούμενοι περὶ αὐτῶν τὴν ἀπαγγελίαν* (1). Sciebat profecto fore qui reprehenderent ipsum, tamquam calidius scribentem, utpote quem omnium maxime Graecorum errores occultare oporteret. Sed horum clamores non curabat. Ut enim nemo vere amicus haberi potest, qui libere loqui non audeat, ita, ait, boni civis nomine indignus est ille, qui inani offensionis metu veritatem silentio premat. Nec enim veritate potius quidquam historico esse debere, eamque in hac patriae causa eo minus sibi esse reticendam, quo aptius per eam ipsam monere posset cives suos, quos antea et manu et consilio omni opera adiuvisset. *Κατὰ μὲν γὰρ*, inquit, *τοὺς τῶν περιστάσεων καιροὺς καθήκει βοηθεῖν τοὺς Ἕλληνας ὄντας τοῖς Ἕλλησι κατὰ πάντα τρόπον, τὰ μὲν ἀμύνοντας, τὰ δὲ περιστέλλοντας, τὰ δὲ παραιτουμένους τὴν τῶν κρατούντων ὀργήν, ὅπερ ἡμεῖς ἐπ᾽ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐποιήσαμεν ἀληθινῶς· τὴν δ᾽ ὑπὲρ τῶν γεγονότων τοῖς ἐπιγενομένοις διὰ τῶν ὑπομνημάτων παράδοσιν ἀμιγῆ παντὸς μίσους ἀπολείπομεν, χάριν τοῦ μὴ ταῖς ἀκοαῖς τέρπεσθαι κατὰ τὸ παρὸν τοὺς ἀναγινώσκοντας, ἀλλὰ ταῖς ψυχαῖς διορθοῦσθαι, πρὸς τὸ μὴ πλεονάκις ἐν τοῖς αὐτοῖς διασφάλλεσθαι* (2). Atque haec verba ipsius auctoris

(1) L. l. p. 111 sq.
(2) L. l. p. 112 sq.

imaginem, quae in toto opere clare elucet, nescio an omnium plenissime referant. Talis enim erat Polybius et vita et scriptis; in illa rebus bello ac pace gerendis, patriae sustentandae unice intentus: in his primarium habens, quo tenderet, propositum perpetuam et aequalium et posterorum utilitatem.

Iam de tribus partibus, quae historiam Polybii pragmaticam constituunt, deinceps dictum est. Quas tamen ne quis ita inter se separatas putet, ut salvis reliquis una aut altera omitti potuisset. Tria enim haec *explicandi*, *iudicandi*, *monendi* munera ita arcte secum invicem coniuncta sunt, ut in eundem finem singula conspirent in eoque coalescant. Nec, nisi haec uno simul adspectu considerentur, plena informari potest τῆς πραγματείας ἀποδεικτικῆς notio. Qua scribendi ratione prioresne historicos superaverit Polybius, an fuerit iis inferior, in altera disquisitionis nostrae parte erit investigandum.

PARS II.

EXPONITUR, QUATENUS POLYBIUS RATIONE PRAGMATICA PRIORES HISTORICOS SUPERAVERIT, QUATENUS HI POLYBIO PRAEFERENDI SINT.

Uti in unaquaque comparatione non tantum intelligendum est, quid sit id quod comparetur, sed etiam quocum comparetur, ita in hoc quoque de historicis Graecis iudicio res sese habet. Exposita igitur Polybii in historia conscribenda ratione, antequam hanc cum priorum ratione conferamus, requiritur ut veteres illi quo usi sint scribendi more, explicemus. Ac de omnibus quidem, qui ante Polybium floruerunt, historicis non dicemus, quae et longa res est et inutilis et vero difficillima propter temporum iniuriam, quae plerorumque opera vel integra perdidit, vel non nisi exiguis fragmentis pepercit. De tribus itaque nobilissimis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte videamus, verbo tantum de aliis nonnullis, e quorum scriptis pauca ad nos pervenerunt, monituri.

CAPUT I.

EXPONITUR HISTORIAE CONSCRIBENDAE RATIO, QUAM TENUERUNT PRIORES HISTORICI.

---

§ 1.

Herodotus.

Herodotus, antiquissimus ille, quem superstitem habemus, solutae orationis scriptor, vere a Cicerone historiae pater appellatus est (1). Qui enim antea res gestas literis mandaverant, Cadmus, Dionysius et Hecataeus Milesii, Pherecydes Lerius, Hellanicus, Acusilas, alii, ieiunos tantum annales confecerant et » sine ullis ornamentis monumenta solum » temporum, hominum, locorum, gestarumque re- » rum reliquerant" (2). Quorum libri historiae nomine vix digni erant iudicandi. Sed hanc sibi laudem vindicavit Herodotus, qui et primus historiam ex angustis veterum illorum limitibus in latiorem campum eduxit universamque composuit, et dictionis facultate commendavit. Neque hoc mirum accidere potest, si tempora, quibus vivebat, respiciamus. Gravissima illa, quae ex Asia ingruerat, belli pestis coniunctis viribus strenue ac feliciter erat repulsa, liberata erat universa Graecia et praesentium periculorum discrimine, et instantium metu. Quo

---

(1) *De legibus*, l. I, c 1.

(2) Ut loquitur Cicero, *de Orat.* l. II, c. 13.

factum est, ut omnium animi, victoriarum nobilitate elati et exsultantes, ferventi ardore excitarentur. Itaque si quis historiae scriptor praeclaras illorum res exili ac ieiuna ratione tractasset, hunc aut non laturi fuissent, aut certe nullis laudibus prosecuturi. At quum Herodotus, summo ipse patriae amore incensus, magna illa facinora eximiamque gloriae praestantiam poetice fere celebravisset, et dispositionis pulcritudine orationisque venustate ornavisset, atque hoc veluti civium suorum encomium in ludis Olympiis, tota Graecia audiente, recitasset, quid mirum tanto eos studio erga talem scriptorem fuisse correptos, ut singulos eius libros singularum Musarum nominibus insignirent, ipsumque digitis monstrantes acclamarent: *Οὗτος ἐκεῖνος Ἡρόδοτός ἐστιν, ὁ τὰς μάχας τὰς Περσικὰς Ἰαστὶ συγγεγραφὼς, ὁ τὰς νίκας ἡμῶν ὑμνήσας* (1).

Atque hoc illud ipsum est, Herodoto proprium, quod *cecinisse* historiam dicitur (2). Accedit enim eius opus ad carminis epici formam, cum propter distributionis naturam vere poeticam, tum propter universam et narrandi et dicendi rationem. Unde *ὁμηρικώτατος* a Longino iure dictus est (3). Et aliter fieri vix poterat. Quum enim antiquis illis temporibus omnes fere literae penes poetas essent, eorumque ars in hominum animos mirifice caderet, ita ut Homeri etiam carmina omnium ore celebrari et auctoritatis loco haberi solerent, sequitur ut qui

---

(1) Lucianus in *Herodoto et Aëtione.*

(2) Sic paullo supra dixerat Lucianus: ᾄδων τὰς ἱστορίας.

(3) *De Sublimi*, Sect. XIII. Similiter a Dion. Hal. in *Epist. ad Pomp.* (Opp. Vol. VI, p. 772 Reisk.) vocatur Ὁμήρου ζηλωτής.

dicendi facultatem his poeseos vinculis liberare, ac pedestri sermone placere et famam sibi quaerere vellet, in summa tamen re et ipse poetice quodammodo versari deberet. Quod quum priores illi, quos modo dicebamus, neglexissent, in tantae laudis societatem pervenire non potuerunt, quantam suo sibi scribendi genere nactus est Herodotus. Hic enim ita in historia componenda versatus est, ut in toto eius opere aequabilis quaedam unitas spectetur et elegans partium conglutinatio, tum ut rerum varietate, vivis descriptionum coloribus, sermonum atque orationum pulcritudine, episodiorum quoque commodo usu, plane epicae poeseos indolem referre vere dicatur. Quod cum a permultis viris doctis egregie explicatum sit, nobis breviter significasse sufficiat (1).

Ex hac autem operis Herodotei forma necessario oriri debebat scribendi ratio, a ratione Polybiana tam longe diversa, quam est simplex et venusta antiquorum poetarum indoles a critica recentiorum philosophorum gravitate. Herodotus igitur ita ingenue de rebus gestis exponit, eaque omnia, quae per itinera sua cognoverat, ita candide refert, ut

---

(1) Peculiari commentatione hoc ostendit C. A. Boettiger, *de Herodoti hist. ad carm. epici indolem propius accedente*, quae legitur in Rupertii et Schlichthorstii *Comment. Philol.* I, p. 41 sqq. et II, p. 54 sqq. Cff. etiam Creuzer, *die Hist. Kunst der Griechen*, p. 154 sqq. et passim, et Borgerus, *de fictis in hist. orationibus*, p. 82 sqq., qui ipse (p. 85) plurimos hac de re scriptores citavit, quibus addantur Cl. Rovers, *de Herodoti dotibus*, p. 7 sqq. et Geinoz, *Mémoire sur Hérodote*, in Opp. Acad Inscr. Vol. XXIII, p. 101 sqq.

de suo nihil fere adiiciat. Ea quoque, quae aut falsa aut fabulosa audiverat, fideliter enarrat, neque tamen ita ut temere ista pro veris ac certis habere videatur, sed mera tantum rumoris levitate inniti significet, addito modesto illo *φασίν*, aut *ὡς λέγουσιν*. Si diversas variorum sententias tradit, ipse quidem non decernit, sed integrum lectoribus iudicium relinquit. Sic, ut uno exemplo utar, cum Phoenices illi, qui Neconis iussu Africam circumnavigaverant, solem a dextra se vidisse narrarent, ita caute ac prudenter scribit Herodotus: *ἔλεγον ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ, ἄλλῳ δὲ δή τεῳ, ὡς περιπλώοντες τὴν Λιβύην, τὸν ἥλιον ἔσχον ἐς τὰ δεξιά* (1).

Apparet in hanc scribendi rationem minime cadere disertam causarum expositionem, aut de iis disputationem. Eas igitur ita narrationi intexuit, ut sine ipsius auctoris admonitione, sua sponte intelligantur. Nec vero, si diversae alicuius rei causae ferrentur, ipse de iis iudicavit, sed singulis opinionibus expositis, lectoribus optionem concedit. Testatur hoc ipse eo loco, ubi, cum belli Graecos inter et barbaros gesti aliam causam fuisse contenderent Persarum sapientes, aliam Phoenices, horum sententia explicata ita pergit: *ἐγὼ δὲ περὶ τούτων οὐκ ἔρχομαι ἐρέων, ὡς οὕτως ἢ ἄλλως κως ταῦτα ἐγένετο* (2). Neque igitur suum interposuit iudicium, ut quid bene gestum esset, quid male, declararet, sed ita res enarravit, ut hoc ipsi legentes statim animadvertant. Quo fit, ut, etiamsi nihil fere nisi facta tradit, haud parum tamen conferat ad inte-

(1) L. IV, c. 42.

(2) L. I, c. 5.

riorem rerum intelligentiam (1). Negandum quidem non est, interdum etiam argumentandi iudicandique officio functum esse Herodotum, sed breviora haec sunt, et obiter observata, non, ut apud Polybium, studiose disquisita et argumentis exemplisque comprobata. Sic varias variorum sententias de origine oraculi Dodonaei diiudicat (2); de causis cur Nilus aestate tumeat et Aegyptum inundet, disputat (3); sic alio loco Ionum de Aegypto opinionem refutat (4); aut de Helena et Paride disserit (5); aut Alcmaeonidas ab eo, cuius erant accusati, proditionis crimine defendit (6). Sed haec modo exigua sunt, modo narrationis cursui ita intexta, ut vix ipse scriptor sententiam suam pronuntiare videatur, aut aliis denique locis episodiorum vicem explere censenda sunt. Quod ex. gr. de tribus orationibus valet, quibus Otanem, Megabyzum ac Darium diversas de optima imperii forma sententias tuentes inducit (7). Quae disputationes, etsi a primario historici officio, quod in narrando consistit, alienae, tamen habent nescio quid ab excursibus Polybianis quam maxime diversum, et potius referre videntur heroum Homericorum sermones, qui tantam huius

(1) Cf. Doct. de Jongh, *de Herodoti philosophia*, p. 9, et Ulrici, *Charakteristik der antiken Historiographie*, p. 38.

(2) L. II, c. 54 sqq.

(3) Ibid. c. 24 sqq.

(4) Ibid. c. 15 sqq.

(5) Ibid. c. 113 sqq.

(6) L. VI, c. 121 sqq. Alios locos, ubi simili ratione argumentatur Herodotus, citavit Doct. Waardenburg, *de nativa simplicitate Herod.* p. 192 sqq.

(7) L. III, c. 80 sqq.

carminibus suavitatem addunt et varietatis delectationem (1).

Etsi porro Herodotus, haud medioeri sapientiae ubertate instructus, quodammodo philosophus dici potest, eamque philosophiam suis quoque scriptis aliquatenus impertivit, non tamen eo proposito historiam conscripsit, ut haberent eam posteri vitae magistram prudentissimamque consiliatricem. Unde factum est, ut praeceptis quoque et monitis plane abstinuerit, aut potius de iis ne cogitaverit quidem. Quod non ita accipi velim, quasi dicam, nihil omnino ex historia Herodotea ad legentium fructum et morum emendationem redundare, sed hoc volo, numquam ipsum talia diserte indicavisse, aut posteros data opera monuisse. Ita vero singula tractavit, ut quid pulcrum sit, quid minus, quid imitandum fugiendumve, sponte appareat, atque ita naturali ac simplici ratione idem assecutus est, quod Polybius longis verborum ambagibus. Sententiae quidem morales in eius libris occurrunt permultae, verum non eae hoc consilio scriptae, ut lectores moneant ac corrigant, sed poetarum rationem referentes, Homeri imprimis, in cuius carminibus tales sententiae et frequentissimae sunt, et larga bonae frugis copia repletae.

Quanta autem in simplici hoc narrandi genere Herodoti fuerit naturae bonitas, melius declarari nequit, quam appositis Dionysii Hal. verbis: *ἡ μὲν γὰρ Ἡροδότου διάθεσις*, inquit, *ἐν ἅπασιν ἐπιεικὴς, καὶ τοῖς μὲν ἀγαθοῖς συνηδομένη, τοῖς δὲ κακοῖς συν-*

(1) Cf. Cl. I. Ten Brink in *Bibl. van oude letterkunde*, Vol. I, p. 8 sqq.

αἰγοῦσα (1). Vere itaque Herodoti imaginem depinxit Wyttenbachius, ubi ait: »Narrator dulcis, »lenis, candidus, ut fere senem videre videamur »post longinquas peregrinationes domi reducem, in »solio sedentem, libenter referentem cum quae viderat, tum quae audiverat, ne iis quidem exceptis, »quae incredibilia ipse iudicaret" (2). Nemo autem non videt, haec scribendi ratio quam longe differat a ratione Polybii, quem potius appelles philosophum, historiam de cathedra docte explicantem.

§ 2.

Thucydides.

Quamquam Thucydides Herodoti aemulatione ad historiam scribendam accessit (3), diversa tamen ratione in ea re versatus est. Neque enim iisdem vivebat temporibus, neque eadem spectabat. Paucis quidem annis Herodoto minor erat (4), ita ut virum puer viderit, sed exiguo hoc temporis intervallo in-

---

(1) *Epist. ad Pomp.* Opp. Vol. VI, p. 774.

(2) Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. X. Recte etiam Creuzerus in libro »*Herodot und Thucydides*" inscripto, p. 124, in Herodoto laudavit: »Die Epische Ruhe, das stetige Gleich»gewicht, die Homerische Unbefangenheit." Cff. etiam eius verba usque ad p. 127.

(3) Narrationem de Thucydide puero Herodotum, quum in ludis Olympiis historias suas recitaret, audiente, eaque lectione ad lacrimas commoto, tradiderunt Suidas in v. *Θουκυδίδης* et *ὀργᾶν*, Photius, *Bibl.* Cod. ξ', et Marcellinus in *Vita Thucydidis*, § 54. Sed vide Goellerum de huius rei probabilitate disputantem in vita Thucydidis editioni praefixa, p. 3 sqq.

(4) Annis tredecim aetate distabant. Cf. Goeller l. l.

gens rerum mutatio in Graecia acciderat. A barbarorum impetu liberati, nec exteros amplius hostes metuentes, in suas ipsi civitates singuli oculos converterunt, suaeque potentiae et auctoritatis amplificandae cupiditate incensi sunt. Divisi erant universi Graeci in duas praecipuas stirpes, Doricam et Ionicam, moribus, indole, studiis inter se contrarias. Utriusque primaria civitas totius Helladis principatum obtinere conabatur, eaque Lacedaemoniorum et Atheniensium contentio odium inter ipsos inimicitiamque commovit. Et licet alii praetextus speciosi admodum ferrentur, haec unice vera fuit belli Peloponnesiaci causa. Quod bellum tanta acerbitate ac vehementia gestum est, tam paribus utrimque viribus, ut in tota Graeciae historia simile exemplum non reperiatur. In illo igitur omnes arrectis animis publica spectare, civitatis commoda reputare deque iis colloqui, ac pro ea, qua fruebantur, libertate, summae rei administrationem affectare. Atque hinc prudentia civilis in diem magis valere incepit et nobilitate augeri. Principes in re publica viri populum suis consiliis regere et, quo vellent, ducere tentabant, eoque consilio praeclara arte utebantur, eloquentia, quae, ut e populari rei publicae forma et ortum et incrementa ceperat, ita mox tantam in ea auctoritatem nacta est, ut ad hominum gratiam sibi comparandam, ipsamque civitatem gubernandam, optima adiutrix fieret. Necesse igitur erat, ut quicumque eo tempore historicus aequalium iudicio comprobari vellet, has *politici* et *oratoris* partes minime negligeret, sed diligenter curaret (1). Quod

(1) Cf. Ulrici l. l. p. 43 sqq.

ita fecit Thucydides, ut omnium consensu maxima laude dignus habeatur.

Huius primarium in historiae scriptione consilium hoc erat, ut, rebus gestis tamquam in scena exhibitis, aeternum conderet sapientiae thesaurum (*κτῆμα ἐς ἀεί*), prudentiae imprimis politicae perpetuum fontem. Quod ut digno modo fieret, philosopham praecipue gravitatem et fidem historicam postulari existimabat. Critica igitur severitate munitus, tota mente in id incubuit, ut veritatem integram atque incorruptam exponeret. Quapropter in celebratissimo illo prooemio veteres historicos non leviter reprehendit, quod aut falsis aut minus certis fidem habuissent. De antiquis enim temporibus recte statuere difficillimum esse et diligentem investigandi curam postulare censebat. Unde factum est, ut de priscis illis ea tantum, »quae exploratis testibus sub»ductisque rationibus vera iudicaret (1)", breviter commemoranda sumeret, ac potius ex iis, quae ipse vel vidisset, vel certa fide audivisset, iustum scribendi argumentum eligeret. Atque hoc veri studium in totius operis indole manifeste elucet, in quo summa iudicii gravitas ac severitas ubique spectatur, idque universe apparet, auctorem non nisi maturos diuturnae perscrutationis fructus cum lectoribus communicasse. Quae res quam fuerit sibi difficilis, testatur ipse, ubi haec dicit: *τὰ δ' ἔργα τῶν πραχθέντων ἐν τῷ πολέμῳ, οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράφειν, οὐδ' ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀλλ' οἷς τε αὐτὸς παρῆν, καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών. Ἐπιπόνως*

(1) Verba Wyttenbachii in Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. XI.

δὲ εὑρίσκετο, διότι οἱ παρόντες τοῖς ἔργοις ἑκάστοις, οὐ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι (1). Atque hinc etiam illud est, quod, si quando incertior res memoranda sit, quae rumore quodam magis quam argumentorum pondere nitatur, hoc ingenue profitetur, ne in errorem labantur lectores. Sic, ubi Cyclopes et Laestrygones primos Siciliae incolas fuisse dixit, haec addit: ὧν ἐγὼ οὔτε γένος ἔχω εἰπεῖν, οὔτε ὁπόθεν ἐσῆλθον ἢ ὅποι ἀπεχώρησαν· ἀρκείτω δὲ ὡς ποιηταῖς τε εἴρηται, καὶ ὡς ἕκαστός πῃ γιγνώσκει περὶ αὐτῶν. (2). Eodem modo narrationem de Alcmaeone, Amphiarei filio, ita concludit: τὰ μὲν περὶ Ἀλκμαίωνα τοιαῦτα λεγόμενα παρελάβομεν (3). Veri itaque studiosissimus quum esset, nec quidquam scribere vellet, nisi quod certo constare iudicaret, formam etiam historiae suae ipsumque dicendi genus ad eandem accuratae expositionis normam accommodavit. Usus enim est severa in temporibus notandis ratione, dum quid quaque aestate et hieme gestum sit, sine ulla intermissione enumerat (4). Quo fit, ut annalium for-

(1) L. I, c. 22.

(2) L. VI, c. 2.

(3) L. II, c. 102. Aliud luculentum huius rei exemplum legitur l. V, c. 20, ubi agit de oraculo quodam, quod praedixerat, ὅτι τρὶς ἐννέα ἔτη δέοι γένεσθαι τὸν πόλεμον.

(4) Huius rationis annos per aestates et hiemes metiendi commoda recenset ipse l. V, c. 20. Sed eam rationem valde improbat Dion. Hal. in *Iudicio de Thuc.* Opp. Vol. VI, p. 826 sqq. eumque secutus Meierotto, *Mémoire sur Thuc.*, in Opp. Acad. Berol. a. 1791, p. 534 sqq. Defendit tamen Creuzerus, *Hist. Kunst der Gr.* p. 267 sqq.

mam aliquatenus referre eius libri videantur, neque tamen ita, ut fastidium inde legentibus oriatur (1). Simul igitur alienissimus est Thucydides ab episodiis illis Herodoteis, quippe qui lectorum delectationi historiae auctoritatem anteponeret, » nec umquam » a proposito digrederetur, nisi ipso postulante pro- » posito " (2).

Orationis autem indoles eandem spirat gravitatem. Ut enim » dulcis et candidus et fusus Herodotus, " ita » densus et brevis et semper instans sibi Thucydi- » des (3);" unde egregie scripsit Cicero (4): » Ita cre- » ber est rerum frequentia, ut verborum prope nu- » merum sententiarum numero consequatur, ita ver- » bis aptus et pressus ut nescias, utrum res oratione » an verba sententiis illustrentur." Atque haec causa

---

(1) Quamquam fatendum est, non ita placere perpetuum illud *τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους*, vel *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος*, aut haec, quibus singulorum annorum historiam concludit: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα καὶ .... ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν.*

(2) Verba Wyttenbachii l. l. De his autem Thucydidis digressionibus, si ita appellare eas fas est, cf. Meierotto l. l. p. 534. Sed bene attendendum est, eas apud Thucydidem semper narrationibus historicis constare, non, ut apud Polybium, disputationibus, quibus ipsius scriptoris sententia explicetur. Recte enim dicit Creuzerus, *Hist. Kunst der Gr.* p. 272: » Diejenigen Parthien, die Episoden heiszen können, sind nichts anders als » nothwendige Digressionen, um einen herrschenden Irrthum zu » widerlegen, oder eine dunkle Parthie der Geschichte zu erlaü- » tern und der allgemeinen Unkunde zu Hülfe zu kommen." Cff. etiam quae ibidem de hoc argumento sequuntur, et quae disputavit idem Creuzerus in libro *Herodot und Thucydides*, p. 68.

(3) Verba Quinctiliani, *Inst. Or.* l. X, c. 1.

(4) *De Orat.* l. II, c. 12.

est, cur a multis obscuritatis crimine notatus sit; quod tamen crimen eiusmodi non est, ut quis ideo praeclaras illas operis Thucydidei dotes negligat. Hae enim tales sunt, ut statui possit, sicuti historiae patrem recte dici Herodotum, ita historiae criticae auctorem Thucydidem esse appellandum (1).

Supra iam diximus Thucydidem sine intermissione veluti properato gradu facta factis cumulare, nec fere umquam a proposito deflectere. Quod praeclare Dion. Hal.: *πόλεμον ἕνα*, inquit, *καί τινας ἀπνευστὶ διεξέρχεται μάχας ἐπὶ μάχαις, καὶ παρασκευὰς ἐπὶ παρασκευαῖς, καὶ λόγους ἐπὶ λόγοις συντιθείς* (2). Apparet talem scriptionem a Polybii ratione pragmatica longe differre. Neque enim de suo vel minimum adiecit Thucydides, sed ita singula coniunxit et ordinavit, ut cuiusque rei et causae et effectus sponte cognoscantur, utque de rerum gestarum bonitate aut vitio iudicium ab ipsis lectoribus institui facile possit (3). Quod igitur Polybius copiosis digressionibus effecit, idem Thucydides eorum, quae diuturna et accurata meditatione invenerat, concisa explicatione praestitit. Iniusta enim eorum vox est, qui historiae utilitatem neglexisse aut parum curasse Thucydidem statuunt. Requirebant hoc tempora, quibus vivebat, ut politicae disciplinae peritia lectores informaret historicus. Et ipse Thucydides, quantopere fructuosam posteris censeret maiorum experientiam, manifeste declara-

(1) Cf. Heeren, *Ideen* cet. Vol. III, I, p. 470.

(2) *Epist. ad Pomp.* Opp. Vol. VI, p. 772.

(3) Cf. C. O. Müller, *Geschichte der Griechischen Literatur*, Vol. II, p. 353 sqq.

vit, ubi scripsit: *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται· ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι, ὠφέλιμα κρίνειν αὐτὰ ἀρκούντως ἕξει· κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται* (1). Hoc igitur volebat, ut futuri homines, superiorum exemplo admoniti, rectius et consilia inire et agere discerent. Neque tamen ideo quis existimet, Thucydideam scribendi rationem Polybianae non omnino fuisse dissimilem. Propositum re vera idem fere habebant, sed in eo efficiendo plane diversam ab altero viam uterque secutus est. Alter, ut vidimus, historiae fructus ipse ubique indicat, et narrationem frequenti disputationum et exhortationum usu distinguit; alter res gestas pressa quadam velocitate exponit, nec de suo quidquam addit, ita tamen ut quicumque eius opus diu multumque tractaverit, lentaque cum meditatione expenderit, ad verae sapientiae ubertatem haud mediocriter sit profecturus. Unde eius scripta non legenda sunt, sed iterum iterumque relegenda et cogitatione ponderanda (2), ut largam, qua abundant, prudentiae co-

---

(1) L. I, c. 22. Cf. Lucianus, *Quomodo hist. conscrib. sit*, c. 42, et vide Creuzerum, *Herodot und Thucydides*, p. 108 sqq.

(2) Apponere libet epigramma in Thucydidem, quod legitur in *Anthol. Gr.* l. IX, 583:

Ὦ φίλος, εἰ σοφὸς εἶ, λάβε μ' ἐς χέρας· εἰ δέ γε πάμπαν
Νῆϊς ἔφυς Μουσέων, ῥίψον ἃ μὴ νοέῃς.
Εἰμὶ γὰρ οὐ πάντεσσι βατός· κ. τ. λ.

In quo epigrammate (quod respicit Marcellinus in *Vita Thuc.* § 35) vocabulum *πάμπαν* corruptum esse vidit Iacobsius. Itaque cor-

piam ex iis eruamus. Et praesertim hoc dictum sit de fictis orationibus, quibus historiam ad aequalium suorum rationem accommodavit (1), quaeque tanto artificio conscriptae sunt, tanta eloquentiae vi ac varietate commendatae, ut et alii omnes in earum laudatione plurimi semper fuerint, et ipse Demosthenes, oratorum tamquam rex, non dubitaverit opus Thucydideum sua manu octies describere, ut tam praeclari exempli excellentia penitus imbueretur (2).

Breviter itaque nostram rationis Thucydideae explicationem ita contrahamus: Veri studiosissimus historicus nihil praeter verum et certum memorare voluit, sed eandem veritatem ita apte et concinne exposuit, ita digna tali argumento gravitate descripsit, ut quae ex historiae studio utilitas redundare debeat, nullum attentum lectorem latere aut fugere possit.

§ 3.

Xenophon.

Post Thucydidem in historia floruit Xenophon, eiusdem laudis socius. Qui si nullo alio nomine de posteris bene meruisset, hoc certe meruisset egregie, quod Thucydidis scripta in obscuro la-

---

rigendum censet: *εἰ δέ γ' ἐϱαννᾶν N. ε. M.* Equidem dubito an potius scribendum sit: *εἰ δέ γ' ἔναντα N. ε. M.*

(1) Cf. Meierotto l. l. p. 525 sqq. De iure autem, quo tales conciones historiae immiscuit Thucydides, praeclare disputat Borgerus, *de fictis in hist. orationibus*, p. 89 sqq.

(2) Lucianus, *Adversus Indoctum*, c. 4.

tentia, cum surripere posset, in lucem protraxerit et aeternae mandaverit memoriae (1). Sed propriam quoque gloriam sibi comparavit, in vita rebusque gestis pariter atque in scriptis spectandam.

Opera autem quae composuit historica, varia sunt ac diversi argumenti. In quibus quidem Cyropaedia a nostro consilio aliena videtur. Quod enim iam Cicero statuebat, »non illam ad historiae fi»dem, sed ad effigiem iusti imperii esse scriptam (2)," hoc, etsi multa in utramque partem sunt disputata, hodie tamen plerique viri docti amplectuntur. Itaque nos de hoc opere Xenophonteo non dicemus, sed Hellenicorum potius atque Anabaseos indolem exprimere conabimur.

Historiam Thucydideam, auctoris morte imperfectam, excepit Xenophon et ad finem perduxit, simulque Graecorum res gestas ulterius persecutus est; quem librum una cum Thucydidis opere a se edito divulgare voluisse videtur. Quamquam probabilis est Wyttenbachii (3) coniectura, non hanc scriptionem ab ipso Xenophonte fuisse editam, nec vel postremis curis absolutam, sed »aut mere com»mentarios consignasse auctorem historiae postea »ab ipso copiosius ac diligentius conscribendae, aut »nulla sua praecipue animi sententia et voluptate »ductum, suscepto Thucydideae historiae continuan»dae officio defungi voluisse." Desiderari enim in

(1) Diogenes Laertius, II, 57.

(2) *Ad Quintum Fratrem*, l. I, Ep. 1, § 8. Quam plurimos autem scriptores, qui de hac quaestione egerunt, citavit Doct. I. Klerk in diss. inaug. *de vita Croesi, quam Xen. in Cyrop. tradidit, ad fidem hist. exacta*, p. 3 sqq.

(3) Praef. ad *Sel. Princ. Hist. Gr.* p. XIV.

his libris ingenii Xenophontei ubertatem ac venustatem, narrationis copiam ac vigorem, offendere vero quodammodo exile et languidum dicendi genus, cum praesertim clarissimorum ducum facinora non nisi obiter memorata, et pauci tantum loci plene quaque historicum decet cura elaborati sint (1). Quo modo cumque autem illud iudicetur, hi ipsi tamen libri, quamnam in historia explicanda rationem probaverit Xenophon, satis manifeste declarant.

Quamquam universe a Thucydidis gravitate et severitate longissime discrepabat Xenophon, et facilitate potius nativaque simplicitate excellebat, ipsumque dicendi genus a Thucydideo habebat diversissimum, tamen, si de historiae conscribendae ratione, rationi Polybianae opposita, quaeras, magna inter utrumque intercedit similitudo. Neque enim vel Xenophon de rerum causis et effectibus de industria disputavit (2), aut fusius ea explicuit, neque de rebus narratis suam ipse sententiam pronuntiavit, neque lectores monuit, ut exempla vitae bene instituendae ex historia peterent, nec quidquam omnino a narratione alienum adiecit, nisi paucissima quaedam ac brevissima, quaeque eiusmodi sunt, ut memora-

---

(1) Memorabilis etiam est Niebuhrii coniectura (in *Mus. Rhen.* a. 1827, p. 194 sqq.), qui *Hellenica* e duabus partibus, diverso tempore conscriptis, constare statuit. Quarum partium alteram, libros duos priores, operis Thucydidei esse continuationem; reliquos vero quinque separatum opus, per se ipsum Ἑλληνικά dictum. Priorem igitur partem una cum Thucydidis scriptis, posteriorem vero non nisi post longum temporis intervallum a Xenophonte editam esse.

(2) Cf. Creuzer, *de Xenophonte historico*, p. 12 et 87 sqq.

tu vix digna videantur (1). Negari quidem minime potest, Xenophontem, disciplinae Socraticae alumnum, historiae etiam fructus spectasse, ad communemque morum emendationem his quoque scriptis sua conferre voluisse; sed bene attendatur, in toto hoc opere, ut in reliquis eius libris historicis, non effusam verborum copiam, neque longas illas digressiones Polybianas, sed ipsius compositionis indolem huic ethico proposito inservire (2). Neque enim hoc committere ullo modo licitum sibi ducebat, ut legentium animos a perpetua narrationis serie diverteret, sed rerum expositionem historiae caput esse arbitratus, huic constanter nec deflectentem insistere se oportere existimabat. Hinc est quod ipse aliquo loco testatur, multa quidem ibi non aliena de iustitia divina dici posse, se tamen sine mora ulterius progressurum. Haec sunt eius verba: *πολλὰ μὲν οὖν ἄν τις ἔχοι καὶ ἄλλα λέγειν, καὶ Ἑλληνικὰ καὶ βαρβαρικά, ὡς θεοὶ οὔτε τῶν ἀσεβούντων, οὔτε τῶν ἀνόσια ποιούντων ἀμελοῦσι· νῦν γε μὴν λέξω τὰ προκείμενα* (3). Est itaque eius historia huiusmodi, ut praeter res gestas praeterque orationes illas, quas temporum conditio necessario requirebat, nihil omnino contineat, sed ea ordinatione et coniunctione, ea forma, eo ornatu, ut, si a legentibus dili-

(1) Haec tam pauca sunt, ut indicari hic omnia facile possint. Leguntur igitur l. II, c. 3, § 24, l. III, c. 4, § 18, l. IV, c. 3, § 12, c. 8, § 1, l. V, c. 1, § 4, 16, c. 3, § 7, c. 4, § 1, l. VI, c. 2, § 20, 27, c. 5, § 41 sq., l. VII, c. 2, § 1, 16 sq., c. 5, § 8, 16, 19 (ed. Mori).

(2) Cf. Creuzer, *Hist. Kunst der Gr.* p. 295 et Ulrici l. l. p. 48 sq.

(3) L. V, c. 4, § 1.

tentia Xenophontea effingere. Certe, quicumque homo militaris attente studioseque hos libros legerit, is non poterit non ad scientiam bellicam egregie profecisse. Quod si de disciplina militari, non minus de communi morum διορθώσει valere dicendum est. Praeclare enim de Xenophontis scriptione statuit Dion. Hal., ubi ait: ἦθος ἐπιδείκνυται θεοσεβές, καὶ δίκαιον, καὶ καρτερικὸν, καὶ εὐπετές, ἁπάσαις τε συλλήβδην κεκοσμημένον ἀρεταῖς (1). Et haec est vera ingenii Xenophontei imago. Hic enim, eximiis ipse virtutibus instructus, easdem libris quoque suis ita impertivit, ut, etsi ipse a primario narrandi instituto numquam deflectit, ad omnes tamen vitae partes, singulari quadam arte, instituat lectorem sapientiaeque copia imbuat.

Alia quodammodo est ratio in libro, quem de Agesilao conscripsit Xenophon. Laudationem enim magis, quam vitam, quae ad historiae normam composita esset, conficere in animo habebat (2). Itaque hic auctoris iudicium, sparsae observationes, exemplum denique propositum. Sed quoniam historiae nomine minus recte hicce libellus insignitur, non magis hic in censum veniat quam Cyropaedia, in qua, ut intelligitur, plurima etiam omnis generis praecepta reperiuntur.

---

(1) *Epist. ad Pomp.* Opp. Vol. VI, p. 778.

(2) Hanc Agesilai laudationem tanti faciebat Cicero, ut »facile omnes omnium imagines statuasque superasse" iudicaret. Cf. *Ad diversos*, l. V, Ep. 12, § 3. Notandum tamen est, fuisse viros doctos, qui hunc quoque libellum a Xenophonte scriptum negarent, inter quos summum Valckenarium ad Herod. l. III, c. 134 et l. IX, c. 27.

§ 4.

Minores nonnulli, vel ex quorum scriptis pauca tantum supersunt.

Aurea Graecae historiae aetas, quam inchoaverat Herodotus, in Xenophonte desiit. Cum enim sub nobili hoc triumviratu suis se finibus continens historia ad summum perfectionis fastigium esset evecta, mox, alienis ornatibus adscitis, in deteriorem prolapsa est conditionem. Nec pro temporum ratione aliter fieri poterat. Eloquentia nimirum in dies maiorem apud Graecos nacta erat auctoritatem, et eum in modum valere inceperat, ut in omnes vitae partes vim suam exerceret, et institutionis publicae fundamentum fieret. Hinc artis regulae ac praecepta, hinc rhetorum sophistarumque scholae. Nec ab huius artis societate ita se vindicare potuit historia, ut nullum omnino ex ea duceret colorem, cum praesertim ipsi historici e rhetorum disciplina proficisci paullatim coeperint. Inter quos Ephorus et Theopompus magistrum habuerunt Isocratem oratorem, Gorgiae Leontini discipulum, cuius auctoritas et exemplum, ut in omnes auditores multum valebant, ita non poterant non plurimum valere in eos, qui ipsi ad scribendum se accingere in animo haberent. Accedebat, quod ipsa etiam philosophia eo tempore a Socrate ad vitam communem erat devocata et ad alias artes disciplinasque traducta; unde in historia quoque exstitit philosophandi studium. Quod ipsum eo facilius usu venire poterat, quo aptiorem praeberet eloquentiae ostentandae occasionem. Atque ita natum est novum conscribendae hi-

storiae genus, a prisca simplicitate quam maxime alienum. Nec pauci fuerunt historici, qui eo uterentur, sed omnes fere illi, quotquot a Xenophonte ad Polybium usque floruerunt. De quorum ratione, quatenus ea ex parca fragmentorum ac testimoniorum segete iudicari possit, breviter erit dicendum.

Sed antequam huc transeamus, primum exceptionis loco nominandus est Philistus Syracusius, Xenophontem proxime secutus. Hic res Siciliae ac vitam utriusque Dionysii literis mandavit, at in ea re, adulandi studio nimis indulgens, historici munus male sustinuisse videtur. Rhetoricorum tamen ornamenta unus adhuc in historia contemsit. Imitator Thucydidis, eidem brevitati studuit ac gravitati, sed viribus impar exempli sui maiestatem assequi non potuit, unde pusillus Thucydides a Cicerone non inficete appellatus est (1). Digressiones itaque de rebus a narratione alienis studiose vitaverat Philistus, quod diserte testatur Dion. Hal., ubi ait: *καὶ πρᾶγμα ἔξωθεν οὐ βούλεται περιλαμβάνειν, ὥσπερ οὐδὲ Θουκυδίδης, ἀλλ' ἐστιν ὁμοειδής* (2). Et quam-

(1) *Ad Quintum Fratrem*, l. II, Ep. 13, § 2.

(2) *Epist. ad Pomp.* Opp. Vol. VI, p. 780. Idem testatur Theon, *Progymn.* p. 44, ubi haec habet: *παραιτητέον δὲ καὶ τὸ παρεκβάσεις ἐπεμβάλλεσθαι μεταξὺ διηγήσεως μακράς· οὐ γὰρ ἁπλῶς χρὴ πάσαν παραιτεῖσθαι, καθάπερ ὁ Φίλιστος· ἀναπαύει γὰρ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροατῶν· ἀλλὰ τὴν τηλικαύτην τὸ μῆκος, ἥτις ἀπαλλοτριοῖ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροωμένων, ὥστε δεῖσθαι πάλιν ὑπομνήσεως τῶν προειρημένων, ὡς Θεόπομπος ἐν ταῖς Φιλιππικαῖς.* Ceterum de Philisto cff. Sevinus in *Opp. Acad. Inscr.* Vol. XIII, p. 1. sqq. et Goellerus, *de situ et orig. Syrac.* p. 103 sqq., qui in eodem libro (p. 145 sqq.) Philisti fragmenta edidit.

quam idem Dionysius mox eius *ἐπαίνους καὶ ψόγους* commemorat, breviora tamen haec et, rationis Thucydideae instar, ipsi narrationi intexta fuisse credibile est, quo tamen in genere minime excelluisse videtur Philistus, teste eodem critico, qui humilem eum et imperfectum hac in re fuisse notavit.

Rhetoricam, quam dixi, scribendi rationem primus fere secutus est Theopompus Chius. Historiam hic Graeciae ab exitu inde operis Thucydidei ad pugnam navalem apud Cnidum duodecim libris, qui Hellenicorum nomine ferebantur, complexus est, quibus deinde addidit Philippica, sive rerum a Philippo, Amyntae filio, gestarum narrationem (1). Quibus operibus luculenter ostendit, ut Isocratis disciplina totus esset conformatus. Non tantum enim in verborum structura orationisque concinnitate rhetorico dicendi genere usus est, sed ex eodem etiam fonte frequentes historiae immiscuit disputationes. Spectabant eae illuc, ut de rerum abditis causis fuse dissereret, ac plurimis locis suum ipse iudicium copiosa digressione explicaret. Utrumque laudavit Dion. Hal. *Τελευταῖόν*, inquit, *ἐστι τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ χαρακτηρικώτατον, ὃ παρ᾽ οὐδενὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οὕτως ἀκριβῶς ἐξείργασται, καὶ δύναται οὔτε τῶν πρεσβυτέρων, οὔτε τῶν νεωτέρων· τί δε τοῦτό ἐστι; τὸ καθ᾽ ἑκάστην πρᾶξιν μὴ μόνον τὰ φανερὰ τοῖς πολλοῖς ὁρᾷν καὶ λέγειν, ἀλλ᾽ ἐξετάζειν καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν πράξεων καὶ τῶν πραξάντων*

(1) De Theopompo consulendi sunt A. I. E. Pflugk, *de Theop. Chii vita et scriptis*, et commentatio de eodem argumento, quam Theopompi fragmentis, a se editis, praemisit Doct. R. H. Eyssonius Wichers.

αὐτὰς, καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ἃ μὴ ῥᾴδια τοῖς πολλοῖς εἰδέναι· καὶ πάντα ἐκκαλύπτειν τὰ μυστήρια τῆς τε δοκούσης ἀρετῆς καὶ τῆς ἀγνοουμένης κακίας (1). Idem, quum antea testatus esset Theopompum *βασιλέων τε βίους καὶ τρόπων ἰδιώματα δεδηλωκέναι*, clarius etiam huius scriptionis indolem explicat, ubi ait: *καὶ ἔτι πρὸς τούτοις, ὅσα φιλοσοφεῖ παρ' ὅλην [τὴν ἱστορίαν περὶ] δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν πολλοὺς καὶ καλοὺς διεξερχόμενος λόγους* (2); Quanta autem Theopompi in hac *παρεκβάσεων ἐπεισαγωγῇ* (3) fuerit diffusa ubertas, inde apparet, quod, quum octo et quinquaginta libris Philippica comprehendisset, posterior ille Philippus, Persei pater, resectis omnibus, quae ad propositam historiam non strictim pertinerent, non nisi sedecim libros habuerit superstites (4). Quamquam monendum est, non omnes illas digressiones disertis disputationibus, sed narrationibus etiam historicis sive episodiis constitisse, quae vel illustrandae parti alicui obscuriori, vel varietati legentibus conciliandae inservirent (5).

Supra iam vidimus in hoc ipso, quo liberius usus est, iudicandi genere acerbitatis et iniustitiae

---

(1) *Epist. ad Pomp.* Opp. Vol. VI, p. 784 sq., et cf. Vol. V, p. 428 sq.

(2) Ibid. Verba uncis inclusa addidit Sylburgius, quia desiderari nonnulla satis patebat.

(3) Uti ait Dion. Hal. Vol. V, p. 429.

(4) Photius, *Bibl.* Cod. ϱοϛ'. Hae autem digressiones apud Theopompum quam fuerint prolixae, docet etiam locus Theonis, quem supra (p. 106, ann. 2) attuli.

(5) Ut patet ex exemplis, quae attulerunt Eyssonius Wichers l. l. p. 46 sqq. et Pflugkius l. l. p. 39 sqq.

culpam apud veteres contraxisse Theopompum. Inter quos vehementissime in eum invectus est Polybius, ex cuius verbis, quae eo loco retuli, aliquatenus etiam de eius scribendi ratione statui potest. Et hoc asperitatis crimine ita ab aliis permultis notatus est, ut *δυσμενέστατος* (1), aut *πικρὸς καὶ κακοήθης* (2) appellaretur, et a Luciano reprehenderetur his verbis: *καὶ τὴν αὐτὴν Θεοπόμπῳ αἰτίαν ἕξεις, φιλαπεχθημόνως κατηγοροῦντι τῶν πλείστων, καὶ διατριβὴν ποιουμένῳ [περὶ] τὸ πρᾶγμα, ὡς κατηγορεῖν μᾶλλον ἢ ἱστορεῖν τὰ πεπραγμένα* (3). Quae omnia, etsi fortasse iniquius dicta, satis tamen declarant, Theopompum a sobria veterum historicorum ratione longe deflexisse, suoque ingenio inter scribendum haud leviter indulsisse.

Condiscipulus Theopompi fuit Ephorus Cumanus, et ipse clarus scriptor, qui historiam, triginta libris comprehensam, a reditu Heraclidarum ad Perinthi oppugnationem perduxit (4). Hunc autem eandem, ac Theopompum, scribendi rationem tenuisse, etiamsi aliunde non constaret, hoc foret indicium satis manifestum, quod ipse singularem conscripsit de dicendi arte librum (5), ex quo conficere licet, quantopere et hic magistri sui institutione esset imbutus. Sed adsunt praeterea diserta veterum testimonia de excursibus rhetoricis in historia Ephori obviis. Instar omnium sit Polybius,

(1) Athenaeus, VI, p. 254 B.

(2) Suidas in v. *Ἔφορος*.

(3) *Quomodo hist. conscrib. sit*, c. 59.

(4) De Ephori vita et scriptis cf. Meier Marxius in commentatione quam fragmentis Ephori, a se editis, praemisit.

(5) *Περὶ λέξεως*. De quo libro cf. Meier Marxius l. l. p. 33.

qui sic dicit: *δεινότατός ἐστιν ἐν ταῖς παρεκβάσεσι καὶ ταῖς ἀφ' αὐτοῦ γνωμολογίαις, καὶ συλλήβδην ὅταν που τὸν ἐπιμετροῦντα λόγον διατιθῆται* (1). Eodem pertinent Timaei verba, quae eo loco retulit Polybius (2), in quibus memoratur *τὸ τῶν ἐπιδεικτικῶν λόγων γένος*, ab Ephoro adhibitum, quod in laudando aut vituperando positum esset. Quo tamen in genere Ephorus graviter accusatus est a Plutarcho, qui *δεινότατον* eum appellat *ἀδίκοις πράγμασιν καὶ πονηροῖς ἤθεσιν εὐσχήμονας αἰτίας περιβαλεῖν, καὶ λόγους ἔχοντας κόσμον ἐξευρεῖν* (3).

Secuti sunt Anaximenes Lampsacenus et Callisthenes Olynthius, alter Diogenis Cynici, Aristotelis alter discipulus, uterque Alexandri comes. Quorum prior, Ephori exemplum secutus, historiam conscripsit universam, duodecim volumina complexam, ab ipsis inde generis humani primordiis ad Epaminondae mortem (4); posterior praeter Persica et Alexandri historiam, Hellenica etiam composuit, sive rerum Graecarum a pace Antalcidea ad direptum a Phocaeis Delphicum templum expositionem (5). Sed de horum ratione pro nostro consilio certi quid

---

(1) In excerptis e l. XII. *Exc. Vatic.* p. 45.

(2) Ibid. p. 44. Qui locus iam legebatur in libris editis, l. XII, c. 28.

(3) In *Dione*, Vol. V, p. 194 (ed. Bryan.) De Ephori rhethorico scribendi genere cf. porro Meier Marxius l. l. p. 36 sqq.

(4) Diodor. Sicul. l. XV, c. 89. De Anaximene consulendi sunt Vossius, *de Hist. Gr.* l. I, c. 10, et Sanctocrucius, *Examen critique* cet. p. 33 sq.

(5) Diodor. Sicul. l. XIV, c. 117 et l. XVI, c. 14. De Callisthene scripserunt Sevinus in *Opp. Acad. Inscr.* Vol. VIII, p. 126 sqq. et Sanctocrucius l. l. p. 34 sqq. et passim.

affirmare, vetuit et operum illorum interitus, et nimia testimoniorum paucitas. Rhetorico tamen more eos quoque in historia scribenda usos fuisse, probabili coniectura exinde confici potest, quod ambo in rhetorum scholis nominis celebritatem nacti sunt. Anaximenes enim de arte oratoria scripta quaedam reliquisse videtur (1), in eaque ita inclaruit, ut solemne habeat *Rhetoris* cognomen, quo a iuniori eiusdem nominis scriptore distinguatur (2). Callisthenis autem celebratur peritia in subita et fortuita oratione (3), eumque »rhetorico paene more" historiam scripsisse Cicero tradit (4). Cuius quidem testimonium etiamsi magis ad dicendi genus, quam

---

(1) Cf. Dion.. Hal. *Epist. ad Ammaeum*, Opp. Vol. VI, p. 722, ubi reponit Anaximenem inter *παραγγελμάτων τεχνικῶν συγγραφεῖς καὶ ἀγωνιστὰς λόγων ῥητορικῶν*. Et in *Iudicio de Isaeo* haec habet Dion. (Opp. Vol. V, p. 626): Anaximenes *περὶ τοῦ Ποιητοῦ* (de Homero) *συντάξεις καταλέλοιπε, καὶ τέχνας ἐξενήνοχεν, ἥπται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων*. Praeterea creditum est libros *Rhetoricorum ad Alexandrum*, qui Aristoteli vulgo tribuuntur, ab Anaximene fuisse conscriptos. Cf. Vossius l. l. et Sanctocrucius l. l. p. 34, ann. 3. Quorum tamen postremus alio loco (p. 849) hos libros potius Coraci Syracusio tribuendos censet.

(2) Cf. Vossius l. l. Anaximenem auctorem fuisse *τοῦ εἰπεῖν αὐτοσχεδίως*, tradit Pausanias, l. VI, c. 18. Quibus testimoniis de rhetorico Anaximenis scribendi more, addendus est locus Plutarchi in *Reip. gerend. praecept.* Vol. II, p. 802, ubi reprehenduntur prolixae orationes in historiis Ephori, Theopompi et Anaximenis obviae.

(3) Suidas in v. *Καλλισθένης* haec habet: *εὐφυὴς πρὸς τὸ αὐτοσχεδιάζειν καὶ ῥύμῃ πολλῇ φέρεσθαι.*

(4) *De Orat.* l. II, c. 13. De Callisthenis dicendi genere cf. porro Sevinus l. l. p. 142.

ad historiae formam pertinere credibile est, satis tamen ex his omnibus liquere arbitror, eos, qui rhetorum arti diligenti studio operam navassent, vix abstinere potuisse quin eam ad omnes librorum partes adhiberent. Quapropter sic statuendum puto, utrumque auctorem suis etiam disputationibus in historia locum concessisse, ideoque scribendi rationem a Theopompi et Ephori ratione haud fere diversam fuisse secutos.

Venimus ad Timaeum Tauromenitanum, illum, quem supra vidimus a Polybio vehementissime obiurgatum. Quo loco iam satis apparuit, plurima illum historiae suae immiscuisse, quae a proposita narratione essent aliena. Nec aliter fere exspectari poterat ab eo homine, cuius in eloquentia laudes vel ab ipso Cicerone celebrentur (1), quique ea viveret aetate, quum effrenata declamandi licentia sinceram historiae simplicitatem iamdudum corrupisset. Ipse Polybius λόγους eius διεξοδικούς diserte appellat (2), iisque admodum frequens fuit Timaeus et prolixus, siquidem ea, quam composuit, rerum Sicularum enarratio in ingentem librorum numerum excrevit (3). Ac videntur hae digressiones minus ad causarum explicationem, quam ad auctoris iudicium fuse ubi-

(1) *De Orat.* l. II, c. 14: »Timaeus, quantum iudicare possum, longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate »abundantissimus, et ipsa compositione verborum non impolitus, »magnam eloquentiam ad scribendum attulit." Cf. etiam in *Brut.* c. 95. — Timaei fragmenta edidit, deque auctoris vita et scriptis praefatus est Goellerus, *de situ et orig. Syrac.* p. 179 sqq.

(2) *Exc. Vatic.* p. 44.

(3) Numerus eorum certo definiri nequit. At plures fuerunt quam quadraginta. Cf. Goellerus l. l. p. 183.

que declarandum pertinuisse. Certe communis est multorum scriptorum querela, Timaeum acerbius et violentius in complures viros fuisse invectum, eaque ipsa de causa iam olim pro Timaeo Ἐπιτίμαιος iocose dictus est. Testis sit Diodorus Siculus. *Διὰ τὰς ἀκαίρους*, inquit, *καὶ μακρὰς ἐπιτιμήσεις εὐλόγως διαβάλλεται· καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐπιτιμήσεως Ἐπιτίμαιος ὑπό τινων ὠνομάσθη* (1). Nec illud *μακρὰς* iniuria posuit Diodorus. Ita enim longus et verbosus Timaeus fuisse perhibetur, ut garrulae anus (*γραοσυλλεκτρίας*) cognomen acceperit (2).

Restat ut breviter videamus de Phylarcho, qui inde a Pyrrhi in Peloponnesum expeditione ad mortem Cleomenis III, Spartanorum regis, historiam viginti et octo libris complexus est (3). Huius autem scribendi ratio e supra dictis probe iam intelligi potest. Vidimus enim Phylarchum, etsi de rerum causis tradendis non sollicitum, satis multa tamen in historiae cursu e sua persona disputavisse. Et praesertim quum, teste Polybio (4), in miserarum rerum tragica et inflata descriptione imprimis sibi placeret, huic oratoris agendi studio nimium aliquanto indulsit, suumque » argumentum ita tra-

(1) *Bibl.* l. V, c. 1. Eodem modo varii scriptores Timaei maledicentiam incusarunt, Nepos, Strabo, Plutarchus, alii.

(2) Suidas in v. *Τίμαιος*.

(3) De Phylarchi vita et scriptis cff. Sevinus in *Opp. Acad. Inscr.* Vol. VIII, p. 118 sqq. et I. F. Lucht in commentatione quam adiecit fragmentis Phylarchi a se editis.

(4) Cuius iudicium, quamquam de Phylarcho iniquius, hic tamen argumenti loco adhibere licet, ubi de sola ratione scribendi, non vero de fide historica agitur. Ratio autem scribendi Phylarchea satis manifeste ex Polybio cognoscitur.

»ctavit, ut legentium animos commovens et percel-»lens modo ira et indignatione, modo commisera-»tione et tristitia impleret (1)." Quae ratio etiamsi e gravissimis, quae Phylarcho narrandae erant, calamitatibus partim et explicari potest et excusari, non minus tamen saeculi illius labem ostendit, a qua vix quisquam historicus integer mansisse videtur.

Sed monendum hoc loco est, ne quis hanc scribendae historiae rationem, quam complures secutos esse diximus, cum pragmatica Polybii ratione temere confundat. Cum enim huius propositum id esset, ut historiae utilitatem ad usum actionemque converteret, ita in scribendo versatus est, ut, quantum maxime posset, bonarum rerum copia imbueret lectores, maiorumque exemplo sapere doceret (2). Illi vero, quos modo memoravimus, Theopompus, Ephorus, Timaeus, alii, artis tantum rhetoricae ornamenta, inanem eloquentiae ostentationem spectabant. Quae cum in laudando et vituperando liberius exspatiari soleat ac clarius effulgere, mirandum minime est, huius generis excursus a talibus historicis imprimis fuisse adamatos. Unde, sicuti Polybii ratio, quae ad res gerendas pertinet, pragmatica dici solet, ita illorum scribendi genus, quod verba et sonos prosequitur, rhetoricum merito potest appellari.

Praecipuos memoravimus, qui ante Polybium floruerunt, scriptores. Quos antequam cum illo com-

(1) Verba Luchtii l. l. p. 31.
(2) Cf. Ulrici l. l. p. 210.

parare aggrediamur, hoc obiter dictum velimus, non universam eorum historicam compositionem a nobis fuisse adumbratam, sed eam duntaxat partem, quae cum ratione Polybii pragmatica possit conferri. Neque enim plura requiri credebamus. Quae nempe et veteres et recentiores critici ad unum fere omnes diiudicare solent, argumenti natura, rerum delectus, partium distributio, orationis facultas, alia eiusmodi, haec omnia, utpote quae ad nostrum consilium minime pertinerent, silentio praetermittenda esse videbantur.

CAPUT II.

COMPARATIO INSTITUITUR.

Accedimus ad gravissimam disquisitionis nostrae partem, qua Polybium cum prioribus historicis collaturi, quatenus iis aut praeferendus sit aut postponendus, investigabimus. Quae disputatio ut iusto ordine procedat, primo loco rationem pragmaticam examinabimus universe, et probandane sit an improbanda, videbimus; tum quid in hoc iudicio, ut vere statuatur, peculiariter de Polybio monendum sit, explicabimus; tandem ex his omnibus, quid in Polybio, quid in prioribus historicis praestare videatur, breviter indicaturi.



Sectio I.

RATIO POLYBII PRAGMATICA DIIUDICATUR UNIVERSE.

Quamquam universe quidem vere dictum est illud, »historiam quoquo modo scriptam delecta»re (1)," quia ipsa in sese satis magnam habeat et

(1) Uti ait Plinius Sec., *Epist.* l. V, Ep. 8. Liceat enim mihi haec verba in universum adhibere, quibus ipse Plinius solam orationis facultatem spectat.

voluptatis et utilitatis commendationem, non tamen ita hoc accipiendum est, quasi nihil omnino intersit, quanam ratione historia scribatur. Nam quum iucundo iucundius, utili utilius, bono melius esse possit, idemque de historia valeat, ut eius fructus, per se ipsi iam uberes, eo tamen fieri possint uberiores, quo rectius suo munere fungatur historicus, sequitur hanc gravem esse quaestionem, quaenam sit optima historiae conscribendae ratio. De hac autem quaestione a plurimis viris doctis egregie saepe est disputatum, et ita quidem ut alii de universo genere copiose commentarentur, alii singulas partes seorsim tractandas sibi sumerent. Nec defuerunt, qui in examinanda ea parte, quae pragmatica scribendi ratione continetur, deditam operam collocarent. Invaluit hoc praesertim ineunte saeculo superiori, quo tempore singularis hominum animos invaserat ardor de historiae scriptione disserendi. Ac tum quidem de pragmatica ratione nihil fere nisi in laudem promebatur, tantoque praestantiores esse videbantur historici, quanto plenius et diligentius ea ratione uterentur. Quorum tamen disquisitiones maioris pretii hodie forent, si, quid tandem esset pragmatismus ille, de quo erat sermo, distinctius definivissent. Etsi enim iis ante oculos fuisse novimus Polybii exemplum, quod magna cum admiratione intuebantur, dubitare tamen licet an omnes illud exemplum ita accurate exploraverint, ut certam aliquam et rite circumscriptam de quaestione proposita notionem sibi informarent. Sed postea, ut fervor ille scribentium paullatim consedit, moderatius et prudentius in eam quaestionem inquiri coeptum est. Neque tamen tum una et consentiens fuit eruditorum vox. Alii

enim pragmaticam rationem minime esse ferendam, ipsique adeo historiae exitium inde impendere clamitabant, alii contra eandem tam strenue defendebant, tantis laudibus prosequebantur, ut sine ea historiae vix quidquam nisi nomen relinqui affirmarent. Posterior sententia hanc habuit fortunam, ut patronum nacta sit Borgerum, eximium et patriae nostrae et bonarum literarum decus. Hic, ut erat insigni ingenii acumine, doctrinae copia, disputandi subtilitate, quaestionem illam ita tractavit, ut priores quosque de ea re scriptores longe post se relinqueret. Quo magis ego, meae mihi tenuitatis conscius, hoc doleo, quod summi illius viri sententiam amplecti non potuerim. Argumentis enim lente et accurate in utramque partem perpensis, improbanda mihi visa est ratio pragmatica, idque cur ita visum sit, explicare aggredior. Grave sane negotium, quum obstet tanti viri auctoritas. Sed aggrediar tamen, hac spe unice fretus, ut, si erravero, non temere in hoc certamen involasse, sed falsa veri specie deceptus eo adductus esse censear.

Uti omnis disputatio bene instituenda a definitione proficisci debet, ut intelligatur, quae sit ea res, de qua agatur, ita hic quoque statim attendendum est, quid sit historia, quid sibi habeat propositum. Illud autem omnium testimonio constat, historiam esse rerum gestarum narrationem, sive eorum, quae umquam acciderint, ita ut acciderunt, expositionem; spectare autem hoc, »ne occidant, quibus »debeatur aeternitas (1)." Quae disciplina ut gravitatem et dignitatem nanciscatur, unum prae ceteris

(1) Verba Plinii l. l.

omnibus requirit, fidem sive veritatem, quae ut historiae caput est ac fundamentum, ita haec sine illa ne nomen quidem suum tueri ullo modo potest. Sed quoniam praeteriti temporis memoria, nisi ad exempli auctoritatem instituatur, virtutisque commendationi inserviat, potius inane quoddam et ludicrum spectaculum erit, quam temporum testis aut vitae magistra, sequitur historiam eo modo scribi oportere, ut eam legentes ad sapientiae fructum morumque emendationem referant. Hoc itaque historico officium incumbit, ut et vere ac candide res exponat, prouti gestae sunt, et curet, ut eas non solum recte intelligant lectores, sed prudenter etiam de iis possint iudicare, unde, quid sequendum sit, quid fugiendum, clara in luce appareat. Quod cum ita inter omnes constet, ut in dubium vocari nequeat, tota haec disquisitio huc redit, num liceat historico de his rebus, quid ipse sentiat, diserte declarare. De qua quaestione ut perspicue disseratur, primo loco de causarum explicatione, tum de iudicandi more, ac tandem de monendi instituto videamus (1).

---

(1) Quos de hac quaestione contuli auctores, eos brevitatis causa semel citasse sufficiat. Sunt igitur hi:

Patritius, *de Historia Dialogi X.* } *in Artis Histori-*
Pontanus, *Actius. Dial. de Hist.* } *cae Penu*, Vol. I.

Bodinus, *Methodus ad facilem historiarum cognitionem* (Argent. a. 1599.)

Keckermannus, *de natura et proprietatibus historiae.*

Vossius, *Ars historica.*

Rapin, *Réflexions sur l'histoire* (Opp. Vol. II. ed. Amst. a. 1709).

Lenglet du Fresnoy, *Méthode pour étudier l'histoire* (ed. Amst. a. 1737).

Quantopere ad rerum intelligentiam iudiciumque instituendum necessaria sit causarum, unde quaeque orta sint, cognitio, et per se satis apparet, et supra fusius explicatum est. Neque nunc in argumento satis trito longi esse volumus. Itaque si quis historiae scriptor in rebus narrandis ita versaretur, ut de causis explicandis ne cogitaret quidem, neque eas vel tacita significatione indicaret, nae ille inepto et indigno modo munere suo fungeretur. Sed tenendum est, duplicem adhiberi posse causarum exponendarum rationem. Nam aut dedita opera fuse ita declarari possunt, ut a perpetua narrationis serie ea disputatio distinguatur, aut pos-

---

Bolingbroke (Henry St. John), *Letters on the study and use of history.*

Hill, *Essay upon the principles of historical composition*, in *Opp. Soc. Edinb.* Vol. I.

Mably, *sur la manière d'écrire l'histoire* (Opp. Vol. XII).

Möller, *Hvori bestaaer Misbrugen af den saakaldte pragmatiske Historie, som adskillige saavel ældre som nyere Historieskrivere have tilladt sig; og hvilke Forholdsregler skal man iagttage, at ikke denne Foredragsmaade ved urigtig Anvendelse skal skade istedet for at gavne?* (i. e. *Qua in re consistit abusus historiae, pragmaticae dictae, quam scribendi rationem multi et veteres et recentiores historici secuti sunt; et quo optime modo cavetur, ne haec ipsa ratio, perverse adhibita, noceat magis quam prosit?*) Est autem haec commentatio (quae prodiit Hafniae a. 1808) a Soc. Reg. Dan. praemio ornata.

Borgerus, *de Historia Pragmatica* (ed. alt.).

Gervinus, *Grundzüge der Historik.*

sunt etiam res eo ordine disponi, ut, his coniunctis, illis separatis, quae fuerit cuiusque causa, quid quamque secutum sit, sponte intelligatur. Nec ambigitur, quin haec posterior ratio ibi unice probanda sit, ubi ex ipsa historia tam apertae sint causae, ut ne oriri quidem possit dubitatio. De quo causarum genere si quis diserte moneret, aut verbose dissereret, is et inutilem operam ageret et importunam. Perspicuitatem enim demonstratione elevaret, et vero, uti ait Borgerus, »idem facere vi»deretur, ac si in porta architectus inscriberet, »hunc esse urbis introitum (1)." Sed alterum est causarum genus, earum nempe quae nullo certo testimonio cognitae, saepe haud exiguam habent dubitationem. Cum enim ita fieri soleat, ut vel maxima interdum e minimis initiis oriantur, cumque rerum gerendarum causae in abditis saepe animi humani recessibus lateant, quis non videt talia, sicuti interdum reperiri nequeant, ita longam plerumque et difficilem indagandi operam postulare? Ex quo efficiunt rationis pragmaticae propugnatores, dubias eiusmodi causas ab ipso historico de industria demonstrari oportere, ne in erroris discrimen legentes inducantur. Neque enim historiam vel fidelem dici posse, nisi omnia, quae ad rectam singulorum intelligentiam faciant, diligenter exponantur; neque vel una causa, etsi ea minutissima, non bene perspecta, vere de re quapiam posse iudicari. Quod quum ab ipsis lectoribus semper et statim animadverti nequeat, quorum plerumque tumultuaria lectio esse soleat, neque accurata, si

(1) L. l. p. 31.

cum scriptoris labore ac diligentia comparetur, postulandum hoc ab historico arbitrantur, ut in quibus causis investigandis diuturnam et intentam operam posuerit, eas diserta explicatione cum lectoribus communicet.

Ne quis autem obiiciat, sic enim porro ratiocinantur, incertas illas causas saepe tantam habere dubitationem, ut non nisi per meras coniecturas probabiliter divinari queant; in historia vero, in qua omnium praecipua res sit veritas, ne locum quidem coniecturis esse licere. Huic enim argumento facile obviam itur. Fatendum quidem est, ubi vera et certa inveniri possint, ibi coniiciendi levitate non temere esse abutendum, neque tamen ea ars prorsus est aspernanda. Qui enim coniecturis bellum indicit, is omnibus fere disciplinis exitium minari videtur. Et cum ingeniosa haec excogitandi facultas, a summo Numine homini insita, in quovis literarum genere tam praeclara praestiterit, quidni idem historico concedatur, ut perspicuae veritatis absentiam critica arte repraesentare studeat? Neque enim hoc postulamus, ut coniecturas, tamquam dubio carentes, lectoribus scriptor obtrudat, sed ut illas eo modo exponat, quo pateat, quibus rationibus ductus ad eas pervenerit, unde ii, qui legant, de earum probabilitate possint iudicare. Verendum autem minime est, ne libera lectorum sententia eo modo impediatur. Nam, etsi scriptoris auctoritas aliquid certe valere debet, hoc tamen vitandum imprimis est, ne in eius verbis, tamquam oraculo quodam, acquiescatur. Atque ea ipsa cautio in lectione abhibenda hoc novum gignet emolumentum, ut quis ita singulorum scriptorum fidem

et auctoritatem diligenter ponderare, et sic quid verum sit, quid falsum, accuratius discernere assuescat. Neque etiam, quod multi historici in ea re peccaverint, ut temere causam esse dicerent, quae minime esset, id pro argumento afferendum est, quo efficiatur, nihil omnino de talibus rebus ipsum scriptorem debere iudicare. Turpiter enim falluntur, qui hominum vitia in ipsius rei vituperationem trahunt. Quid denique causae esse potest, ut, quod in aliis omnibus disciplinis locum habet, id uni historiae denegetur? Quum enim in unoquoque doctrinarum genere, in physica, medicina, ceteris, investigari cuiuscumque rei causae soleant studioseque exponi, cur idem in historia non liceret, quae ipsa non magis quam reliquae artes sine causarum cognitione intelligi possit?

Haec omnia, quae retuli, ita disputari videntur, quasi essent, qui omnem omnino causarum explicationem ab historia alienam putarent. At non credo vel unum reperiri, qui tale quid serio contendere audeat. Quis enim nescit in nullo scientiae humanae genere quidquam recte perspici, nedum diiudicari posse sine accurata causarum principiorumque notitia? Commune hoc cum aliis disciplinis habere recte historia dicitur. Neque tamen inde argumentum hauriendum esse arbitror, quo haec historiae pragmaticae pars defendatur. Diversa enim quodammodo est ratio. Nam quum et physicus et medicus et alii, in suo quisque studiorum genere, ipsas plerumque res ex sola naturae contemplatione cognoscere soleant, causae vero abditae lateant, hanc unam operam curamque habent, ut, unde quidque ortum aut effectum sit, investigent atque

aperiant. Suis oculis videt physicus, quaecumque non suspendantur, ea in terram prona decidere; videt astronomus lunam solemve deficere; videt medicus aegrotos gravi morbo laborantes; sed quaenam sint rerum istarum causae, illud non nisi indagando assequi possunt. Hoc igitur opus est, hic labor, in quo tota eorum disciplina tamquam in cardine movetur. At non idem in historia valet, in qua res ipsae et inquirendae sunt et cognoscendae, neque igitur praecipua cura in causarum explicatione versatur. Hae enim eo tantum consilio agitari scirique debent, ut rebus illustrandis inserviant. Quod eiusmodi est, ut in aliis disciplinis ex rebus causas, in historia vero res ex causis cognosci haud temere dicas. Haec enim rerum scientia spectatur, illae causarum. Unde sponte apparet, non eodem eas loco, nec eadem dignitate, qua in illis fruantur, in hac esse insigniendas. Ac de causis quidem apertis dubium non est, quin ita res sint ordinandae eoque artificio inter se copulandae, ut cuiusque et origo et exitus vel non monente scriptore appareant; sed de dubiis tantum causis aut obscuris tota haec quaestio disceptatur. Quae quoniam inventu difficillimae esse solent, praeclare hoc praecipiunt, ut in eas historicus diligenter et accurate inquirat, utque etiam ipsius auctoritas, etsi caute ponderanda, aliquid tamen valere dicatur. Sed ut hoc concedamus, nondum exinde necessario requiri videtur, ut illam causarum explicationem diserte scriptor narrationi intexat, aut de iis disserat, argumentaque, quibus suam sententiam tueatur, in medium proferat. Bene enim attendendum est, aliud esse causas perscrutari et ratiocinando investigare, aliud eas suo quamque

loco apte disponere. Illud autem quin historici opus sit, non dubito, in hoc vero ita eum versari oportere existimo, ut quas cuiusque rei causas lenta et accurata inquisitione ante scribendum invenerit, eas perpetuo narrationis cursui ita innectat, ut eam rem, cuius causae fuerint, quasi praeparent ac fere adducant, nec tamen a rerum factorumque serie distinguantur. Quod eo tutius ac commodius facere licebit, quod » ea quae ad res agendas homines mo-» vere solent, plerumque et ipsa facta esse solent, » eoque nomine illae ipsae causae sub historici etiam » narrationem directe cadunt (1)." Cur enim ea aut facta aut consilia, quae alias res pepererunt, at ipsa tamen per se suo loco memoranda erant, ob id ipsum, quia alias res pepererunt, a reliquo historiae corpore divellerentur? Nec minus etiam hoc observetur, nullam fere rem in historia occurrere, quin, uti ipsa a suis causis profecta sit, ita alias res commoverit; unde apparet, totam historiam non interrupta causarum eventuumque catena comprehendi. Quid igitur fieret, si haec omnia sigillatim tractanda essent perpetuoque commentario illustranda? Accideret, credo, quod ipse alicubi Polybius metuisse videtur, ubi se nescio cuius rei causam breviter tantum memoraturum esse dicit, *ἵνα μὴ τῆς αἰτίας αἰτίαν ἐπιζητούσης, ἀνυπόστατος ἡ τῆς ὅλης ὑποθέσεως ἀρχὴ γένηται καὶ θεωρία* (2). Toties enim narrationis filum abrumperetur, ut tandem per ipsam illam scriptoris sedulitatem, quae facilia erant ac perspicua, impedita atque obscura redderentur.

---

(1) Verba Patritii l. l. p. 493 sq.
(2) L. I, c. 5.

Neque etiam credo ullum fere esse, quin historiam legens eiusmodi disputationibus tot locis distinctam, molesto quodam sensu afficiatur.

Sed aliud praeterea cernere mihi videor, quod disertam hanc refutet causarum explicationem. Ingens enim periculum erit, ne a meditandi labore paullatim remittant ac relaxent lectores, ubi omnia copiose ipse scriptor exponat, suumque argumentum funditus exhauriat. Concedo quidem illud, quod modo retuli, a cauto lectore postulari, ut singulorum scriptorum auctoritatem accurata veluti trutina ponderet, et quid verum sit aut falsum, ipse examinet, nec iuret in verba auctoris; sed aut fallor, aut curiosa haec historici sedulitas, quae ut omnia ipsa percurrit, ita nihil fere legentium cogitationi relinquit, haec, inquam, mox efficiet, ut sensim in eius verbis acquiescatur, quem diligentissimam in singulis operam posuisse appareat. Neque tamen hoc vellent ne acerrimi quidem huius generis defensores. Ut enim coniecturae alicuius, quam scriptor excogitaverit, perversitas ipsis rebus nihil detrimenti afferat, tamen perverse de iis iudicare lectores assuefient, nisi in legendo summam adhibeant cautionem, quod ne committant, magnopere prospiciendum esse nemo non videt. Sin vero historicus cuiuscumque rei causas, religiosa cum cura indagatas, ipsi narrationi suo loco atque ordine ita intexat, ut et principia rerum et exitus sponte in oculos incurrant; sique iis tantum locis, ubi, quum certa reperiri non possent, coniecturis uti debuerit, obiter lectorem moneat, ne latentem forte errorem temere imbibat, tunc, credo, optimam sequatur scribendi rationem. Neque enim rerum cursum im-

portune abrumpet, neque cogitandi materiem lectoribus eripiet. Unde fore praevideo, ut et caute et accurate lectio instituatur, utque singula prudenter considerata ad veri normam exigantur, quod ad sapientiae fructum haud mediocre fuerit adiumentum.

Ne autem haec omnia disserere videar, speciosa quidem, sed quae reapse perpetrari nequeant, testes appellasse Herodotum, aut Thucydidem potius et Xenophontem sufficiat, quorum nullus in rerum causis diserte explicandis deditam posuit operam. An igitur in eorum libris causae atque eventus minus intelliguntur quam apud Polybium? An rerum gestarum principia, natura, effectus minus ibi clare apparent? An agentium studia ac consilia minus bene perspiciuntur? Quod si nemo facile affirmare audebit, illud evidenter effici censeo, ea, quae modo sunt disputata, splendidis exemplis comprobari.

Altera et praecipua historiae pragmaticae pars in eo versatur, ut scriptor ipse de quacumque re gesta, tamquam iudex aut censor, sententiam suam declaret, ac quid bene actum sibi videatur, quid male, quid sapienter, quid incaute, diiudicet, ut inde, quid imitandum sit, appareat, quid fugiendum. Et hoc etiam in historia philosophandi institutum alii acriter improbaverunt, alii strenue defenderunt. Illi enim invasionem in alienam possessionem esse queruntur, historicum autem sua ipsius disciplina contentum esse oportere. Hi contra, hanc esse historiae philosophiaeque cognationem affirmant, ut alteri alterius personam interdum induere optimo iure liceat, ipsaque adeo historia philosophia quaedam

verissime dicatur. Sapientem enim esse naturae legem, ut omnes artes ac disciplinae communi quodam vinculo inter se contineantur seque invicem sustentent. Neque vel unam esse, quin sibi aut copiam aut ornamenta ex aliis petat, iisque rursus sua impertiat. Quod cum in omnibus doctrinis fieri soleat, nec cuiquam omnino denegetur; quum etiam philosopho hoc cunctorum suffragiis concedatur, ut exemplis ex historia petitis praecepta sua illustret ac confirmet: quidni hoc historico liceat, ut, ubi opus sit, praesidii aliquid ac munimenti a philosophia mutuetur? Nullum enim esse historiae pretium, nisi ad virtutis commendationem referatur, quod fieri non posse, nisi ipse historicus philosophorum more in scribendo versetur.

Sed, pace summorum virorum dixerim, hocce argumentum verborum lusu contineri mihi videtur. Attendendum enim erat, quid sit id, quod historiam philosophiam appellemus. Scilicet historia, quatenus omnium virtutum vitiorumque exempla complectitur, et haec esse fugienda docet, illa sectanda, tam arcto affinitatis vinculo cum philosophia est coniuncta, ut ipsa quoque per se philosophia quaedam recte dici possit. Sed ut materia historiae hanc habeat cum philosophia similitudinem, non tamen inde sequitur, formam etiam illius eam esse debere, quae in hac usitata sit, aut omne id, quod philosopho liceat, id licere historico. Quod exemplo aliquo illustrare non erit alienum. Si quis enim disciplinas physicas ac mathematicas philosophiam diceret, recte hoc quidem diceret, quoniam illae artes in rerum contemplatione versantur, intimaque naturae arcana perscrutantur. Neque ta-

men quod in philosophia accidere solet, id statim in his artibus admittendum est. Ut si quis eandem, quae philosophis datur, mathematicis veniam concederet, ut, ubi vera desint aut inventu sint difficillima, ibi probabilia amplectantur, vide quam a matheseos indole aliena statueret. Aut rursus si anatomus quidam, dum mirabilem illam corporis humani structuram explicaret, aut astronomus, qui solis illum ac stellarum cursum describeret, singulaque ex artis suae praeceptis ratiocinando illustraret; si illi, inquam, in media demonstrationis serie quovis momento exspatiarentur ad praedicandam sapientiam divinam in his rebus conspicuam: laudaremus hominum pietatem, at eosdem temporis locique rationes inepte conturbare quereremur, et impatienter exspectantes dum absolveretur demonstratio, ipso vultu hunc intimum animi sensum proderemus: *τοιαῦτα ἡμῖν ἔδει καταλιπεῖν λογίζεσθαι, ἢ αὐτοὺς εἰπεῖν* (1). Tamen et corporis humani et stellarum motus cognitionem quis philosophiam appellare dubitabit?

Quorsum haec? Ut intelligatur, etsi summo iure philosophiam quandam historiam dicamus, minime tamen inde esse efficiendum, philosophorum more in scribendo versari oportere historicum. Quod facete Baco ille Verulamius (2): »Licet," inquit, »historia quaeque prudentior politicis praeceptis et monitis veluti impregnata sit, tamen scriptor ipse sibi »obstetricari non debet."

(1) Uti alia in causa ait Lucianus, *Quomodo hist. conscrib. sit*, c. 17.

(2) *De Augm. Scient.* l. II, c. 10.

Sed accuratius aliquanto explicandum est, quibus argumentis hocce in historia philosophandi studium defendi soleat, quidque ad eorum refutationem dici posse videatur.

Unum est, de quo omnes consentiunt, historiam ita esse conscribendam, ut ad sapientiae studium exercitationemque referatur. Nam, nisi suppeditet institutionem omnibus vitae partibus saluberrimam, quid iuvat vetustae memoriae instauratio? Sponte igitur apparet historicum, qui eam in scribendo partem plane negligat, gravi illa, quam sustinet, persona minime esse dignum. Sed quia duplici rursus via huc perveniri potest, quaestio non de eo agitatur, utrum harum unam alteramve, sed utram ingredi debeat scriptor. Nam et diserta ipsius disputatione singula censeri diiudicarique possunt, et potest etiam nuda narratio ita institui ac concinnari, ut ipsa per se, vel non monente scriptore, aut laudet aut vituperet. Quorum prius cum postulant rationis pragmaticae propugnatores, illud tamen statim confitentur, non hoc iudicandi munus aeque requiri ac causarum eventuumque expositionem. Cum enim rerum causae ac principia eius momenti esse soleant, ut sine eorum notitia ne ipsae quidem res intelligi possint, idem in iudicii declaratione non valere, quae si ad illustrandum aliquid afferat, non tamen ad rerum scientiam necessario requiratur. » Neque tamen, quod iure exigi a scriptore non pos- » sit, id continuo ita esse ab eius persona alienum, » ut peccet si faciat (1)," cum praesertim ex ea re

(1) Verba Borgeri l. l. p. 50.

ingentia ad virtutis sapientiaeque fructum emolumenta proficisci videantur.

Quod autem supra vidimus, ubi de causis agebatur, ut ad eas tantum, quae dubiae essent, explicandi necessitatem restringerent, idem in hac quoque parte observandum censent. Neque enim, sic argumentantur, ferimus scriptorem, qui in rebus apertis supra modum inculcandis inutilem operam consumit, eoque modo taedium lectoribus parit. Sed tantum abest, ut certum ubique sit ac manifestum de rerum gestarum bonitate aut turpitudine iudicium, ut contra, quid statuendum sit, haud semel fere plane nescias. »Cum enim in historia, tam»quam in theatro, primas partes homo agat, »homine autem nihil sit ad fallendum versutius, »saepe accidat necesse est, ut aut, quod liqueat, »non habeamus, aut iudicio labamur (1)." Unde apparet, arduam imprimis esse rem, de factis historicis vere iudicare, quippe quae requirat ut quis singula ad amussim examinet, et intimos praesertim scrutetur animi humani recessus. At credibile non est, tam accuratam diligentemque investigationem a lectoribus iri institutum, qui non nisi obiter res observare soleant, nec tantum in iis explorandis laborem ponant, quantus iure a scriptore postuletur. Hi igitur quum aut omnino non possint iudicare, aut non nisi difficillime cumque magno errandi periculo, quidni potius hoc ab ipso historico flagitemus, ut, quas res sedulo studioseque consideraverit et aequa lance expenderit, de iis quoque, quid statuendum sibi videatur, diserte declaret, eoque mo-

(1) Idem ibid. p. 52.

do obscuritatem, in qua versantur lectores, sua luce collustret? Nam etsi fieri potest, ut interdum, suo quisque ingenio ducti, recte sententiam ferant, errorem tamen praecaveri satius est, quam nimia sagacitatis exspectatione admitti. Neque periculum esse videtur, ne quando ii, qui legant, falso scriptoris iudicio decepti, in errorem illabantur. Quicumque enim seria mente historiam legat, non potest quin iam inter legendum haec comprobet, illa condemnet; unde, si tandem in historici iudicium incidat, idque cum suo conferat, non temere hoc relinquet, ut illud amplectatur, nisi suam scriptor sententiam solidis muniverit argumentis. Neque enim huius iudicium ipsas res aut mutare, aut iis detrimenti aliquid afferre potest, ex quo intelligitur, liberum semper manere legentibus arbitrium, quid praeclare factum existiment, quid turpiter, statuendi. Itaque ex his omnibus sequitur, » ab ipso scri- » ptore eam, de qua loquimur, historiae pragmati- » cae utilitatem diserta admonitione adiuvari debere, » ubi metuendum sit, ne lectores, fallaci rerum spe- » cie decepti, aut a libero animi iudicio profecta » putent, quae sint ipsi rerum statui tribuenda, aut » huic ea adsignent, quorum voluntaria fuerit ac » nulla conditione circumscripta optio (1)." Atque ut ipse historicus in his rebus erroris discrimen evitet, et hominum animos, ingenia, voluntates, et consilia et exitus, et instrumenta et auxilia, quibus singula sunt peracta, quam accuratissime investiget, et sic demum iustam aliquam sententiam caute concludat.

---

(1) Verba Borgeri l. l. p. 63.

Haec fere sunt argumenta, quibus alteram tuentur rationis pragmaticae partem. Alia enim levioris momenti omitto, quorum hoc imprimis tenue est ac ponderis expers, quod absurdum esse nonnulli dixerunt illud improbare iudicandi institutum, quo et Livius et Sallustius, praeclarissimi sane historici, usi sint. Quibus adversariis si opposuero Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, satis, credo, responsum erit.

Verum graviora sunt illa, quae modo retuli, ac maiorem redarguendi curam copiamque requirunt. Neque enim diffitendum est, magni momenti esse illud argumentum, quod dicunt historicum diserta iudicii declaratione errores a legentibus arcere. Ipsum enim diligentiorem in rebus considerandis operam posuisse, neque igitur iniuria primo loco sententiam pronuntiare, ad cuius normam deinde suam quisque lector exigat. Sed periclitandum tamen est, an contra hanc ratiocinationem probabiliter possit disputari.

Et statim repetendum est, arduum imprimis esse ac difficile de rebus gestis vere iudicare. Quum enim hoc, an iusta feratur sententia necne, a minutissimis saepe causis pendeat, ut qui unam aliquam partem ignoret, de toto recte iudicare nequeat, sequitur accuratam observationem inquisitionemque postulari. In quo negotio quoniam et ipse scriptor inani quadam specie aut praeiudicata opinione falli potest, illud bene praecipiunt, ne eius verba, tamquam vocem divinam, accipiamus, sed singula ipsi prudenter examinemus. Quod ipse alicubi Polybius monuit, ubi ait: *ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες, ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν*

λέγοντα,..... πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν. Ἐγὼ δὲ φημὶ μὲν δεῖν, οὐκ ἐν μικρῷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ συγγραφέως πίστιν, οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν· τὸ δὲ πλεῖον, ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας τὰς δοκιμασίας (1). Sed vereor ne facilius dari hoc praeceptum, quam observari possit. Ingens enim periculum esse arbitror, ne nimia scriptoris sedulitas remissiorem faciat lectorum diligentiam ac sensim maiorem, quam fas est, auctoritatem nanciscatur. Nam quum cuiusque libri auctor eam, de qua agat, materiem penitus exploravisse censeatur, multi lectores de ipsius historici sententia, verane sit an falsa, ne dubitare quidem audebunt, aut certe, si dubitaverint, in eius argumentis facile acquiescent. Quod quidem lectorum genus, etsi levitatis crimine graviter notandum, tamen, credo, satis frequens esse solet. Sed pone lectores cautos, prudentes, veri studiosos. Ne his quidem ista iudicii sui declaratione bene consulere historicum contendo. Licet enim liberam eorum sententiam non sic quidem plane coerceat, at eam aliquatenus tamen impediet ac praevertet, quae res et importuna iis erit et periculosae plena aleae. Nam serius quisque lector adeo sui iuris esse cupit, ut nullam omnino iudicii restrictionem patiatur, eamque ipsam libertatem inter pretiosissimas legendi voluptates reponit. Quod cum ita sit, ut et leve istud legentium genus scriptoris verba facile pro oraculo habeat, et prudentioribus idem ille scriptor ob id ipsum suspectus esse soleat, quod non rogatus sententiam ferat: hoc effici con-

(1) L. III, c. 9.

sentaneum est, utrimque in reprehensionem incurrere rationem pragmaticam. Hanc enim maximam ac primariam historia habet utilitatem, quod uberrimam cogitandi materiem praebet, quam historicus nequaquam praeripiat lecturis, ne, argumento suo nimis exhausto, aut nihil illis aut parum certe relinquat. Nam quod in proverbio est, *artem fastidii pariendi hanc esse, ut omnia dicas*, id verissime est dictum. Quicumque igitur in scribendo et prodesse velit et delectare, hoc agat, hanc curam habeat, ut singula quidem perspicue exponat, ac diligenter explicet, nec tamen recolendi lectoribus ac quasi ruminandi copiam auferat.

Neque vero illud admittendum ullo modo est, quod argumenti loco protulerunt nonnulli, ex eiusmodi digressionibus gigni varietatis delectationem. Nae ille misericordia indiget, qui historiam compositurus, tali modo scriptionem condire necesse habeat, nec eam ipsis rebus satis aut gravem aut lectu iucundam reddere possit.

Et hoc teneatur praeterea, difficile admodum esse, in laudando aut vituperando semper se intra veritatis limites prudenter continere. Nam quum ita fere hoc genus comparatum esse soleat, ut facile ei profusius indulgeatur, invitum saepe abripit scribentem atque a recta via deducit. Unde metuendum est, ne incitatior disputantis animus aut turpia reddat turpiora, aut praeclara supra modum efferat. Quod idem in legentibus minus extimescendum est, quorum ut animus sedatior, ita iudicium lentius plerumque erit ac moderatius. Accedit, quod saepe in tali iudicii explicatione de iis rebus statuendum est, in quibus minus versati esse solent historiarum

scriptores. Exemplum praebeat disciplina militaris, cuius haud scio an non multi historici peritissimi sint aestimandi. Atqui tamen, quomodo de ducum praefectorumque aut prudentia aut temeritate in acie ordinanda, in pugnis committendis, in aliis, quae huc pertinent, administrandis, vere umquam potest iudicari, nisi quis horum omnium accurata instructus sit notitia? Satius itaque credo fore, si rebus ipsis nude ac simpliciter, ita ut acciderunt, enarratis, alteram laudandi aut reprehendendi provinciam suis scriptor lectoribus relinquat, prout in suo quisque genere earum rerum usum exercitationemque habeant. Neque enim ita aut inscientia labetur, aut nimio ardore incensus veritatem violabit.

Sed alia quoque res est, quae hoc in historia iudicandi institutum graviter condemnare videtur. Si quis enim scriptor frequentibus istiusmodi digressionibus propositam narrationem distinguat, et alio subinde legentes divertat, quis non videt hunc rerum gestarum tamquam filum eo modo nimis saepe abrumpere, atque ita non solum ipsas res obscurare, sed fastidium etiam parere lectoribus? Quod utrumque, ut molestum est et aegre ferendum, ita vitari non poterit. Quodsi enim lectorum animus, a medio rerum cursu subito divulsus, ad earumque honestatem aut pravitatem censendam abreptus, novo argumento attentius inhaereat, periculum est ne ipsas paullatim res, si non plane, at partim tamen, memoria dimittat. Unde, narrationis serie denuo instaurata, minus eam plene et accurate intelliget, iam imminuta antecedentium cognitione. Quo autem longiores sint illi λόγοι ἀποδεικτικοί, eo plus perpetua rerum scientia capiet detrimenti. Neque

hoc non esse noxium et importunum potest. At ne credibile quidem est, legentes in hisce digressionibus sedate perlustrandis diligentem operam esse collocaturos. Quicumque enim historiam legit, hoc postulat, ut continua hominum rerumque series sibi ante oculos evolvatur, utque ita a proximo quoque ad sequens progrediens, totius historiae ambitum cognoscat. Neque igitur, ipsi narrationi toto animo intentus, libenter ab ea discedit, ut ad alia divagetur. Quid enim? Omnia illa, in quibus unice erat occupatus, quorumque cursum avide exspectabat, repente mittere debebit, ut alia statim contempletur, ac copiosam illam historici disputationem auscultet, quae, ut ut praeclara, docta, vera, non tamen illi nunc placere ullo modo poterit. Neque enim eam, mente alius rei cogitatione repleta, aut bene, aut attente examinabit, sed rerum serie aegre relicta, impatienter circumspiciet, quo tandem loco ad narrationem continuandam redeatur. Unde tota illa digressio et voluptate et fructu plane carebit. Quae cum in utramque partem ita sint, ut, si tales excursus attente perlegantur, rerum intelligentia necessario imminuatur; sin minus, supervacua fuerit scriptoris sedulitas: quid restat, nisi ut prorsus abstinendum iis esse concludamus? Neque enim ipsis rebus antiquius quidquam habere historicum oportet, neque suis ipsum studiis occupare lectores, qui nihil nisi non interruptam factorum seriem requirunt, neque aliud quid facile ferunt. Neve quis putet nimis nos sollicite haec extimescere, quae metuenda non sint. Vel huius ipsius, de quo agimus, Polybii creberrimas dico disputationes. Nescio quid aliis videatur, sed mihi quidem, sint

illae verissimae et quamvis larga rerum utilium copia refertae, narrationis cursum nimis impedire videntur, meumque animum molesto quodam sensu afficiunt.

Quum autem disertam iudicii explicationem a scriptore haud esse apponendam censeo, non tamen illud dico, nihil omnino de rebus gestis iudicare historicum oportere. Sed hoc, credo, et aeque et iure postulatur, ut ante scribendum quam accuratissime singula expendat, propositam vero narrationem ita instituat, ut ipsa per se, »quid sit pul»crum, quid turpe, quid utile, quid non," satis manifeste declaret. Ac veluti tabulata illa, quae aedium exstruendarum causa collocari solent, absoluto aedificandi opere rursus destruuntur: sic critica historici facultas rebus quidem componendis atque illustrandis inserviat, omniaque ordinet, dirigat, explicet, sed perfecto opere non amplius suo cum apparatu in lucem prodeat. Vere enim comparatur historicus cum pictore, qui, ut singula spectatoribus fiant perspicua, non ipse in tabula demonstraturus apparet, sed ita exhibet personarum vultus, ora, gestus, habitum, ut quibus animi affectibus esse fingantur, sponte intelligatur; aut rursus cum poeta dramatico, qui, dum virtutis vitiorumque specimina ostendit, eaque sive imitanda, sive fugienda proponit, non tamen ipse prodit in scenam, ut fabulae suae commentarium addat aut interpretationem.

Ac ne incurram in hanc accusationem, quod ea ab historico flagitem, quae perfici nequeant, exemplum aliquod afferendum est, quo pateat, ipsam narrationem, vel non monente scriptore, satis et

laudare posse et vituperare. Nec nunc quidem dicam de tribus illis clarissimis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, quamquam in illis satis validum sententiae praesidium habiturus, sed ipsum appellare Polybium libet, qui, quam bene illud, quod dixi, fieri possit, uno alteroque loco luculenter ostendit. Quis enim ita hebes est et iudicio destitutus, quin illa v. c. pugnae Cannensis descriptione (1) lecta, variorum ducum prudentiam aut temeritatem persentiat? Aut, ubi de Hannibalis trans Alpes expeditione agitur, quis non admiratur summi illius imperatoris solertiam in copiis suis sustentandis, confirmandis et ab hostium locorumque difficultate defendendis (2)? Atqui tamen neque hic neque illic diserte Polybius talia indicavit, sed quod scriptor non praestitit, hoc praestitit ipsa narrationis forma.

Veritatem itaque sine commentariis exponat historicus, neque in rebus, a primario disciplinae suae proposito alienis, male sedulus inhaereat. Quodsi tamen paucissimis iis locis, ubi aut solito difficilius, aut desperandum fere est de rebus gestis iudicium, hoc sibi sumere velit, ut legentium errorem sua admonitione obiter praecaveat, equidem non multum obstabo. Sed uberiores de factis historicis disquisitiones ab ipsis lectoribus instituantur, qui, nisi philosopha quadam gravitate cumque sapientiae desiderio ad historiam legendam accedant, ne digni quidem sunt illi, qui tam praeclarae doctrinae sacris initientur, sed similes profanis procul inde arcendis. Quicumque

---

(1) L. III, c. 115 sqq.

(2) L. III, c. 50 sqq. Alia huius rei exempla occurrunt l. III, c. 82, l. X, c. 7 sq. alibi.

vero quo decet animo historiam inspiciat, is, credo, in ea, quam defendo, scribendi ratione, omnia illa inveniet, quae aut cupit, aut exspectat. Nam et ipsas res vere et accurate cognoscet, et copiosam habebit contemplandi meditandique materiem.

Reliquum est, ut tertiam rationis pragmaticae partem examinemus, id est, ut videamus, sitne historici diserte monere lectores, ut turpiter facta vitent, praeclare gesta imitentur. Neque dubium fore putamus, quaenam sit nostra de hac quaestione sententia. Qui enim ne illam quidem scriptori veniam concedebamus, ut de rerum bonitate aut vitio iudicaret, quomodo iidem illud ferre possimus, ut praeceptis et adhortationibus in historiae scriptione indulgeat? Quod ideo tutius improbare audemus, quia illi ipsi, qui causarum expositionem iudiciique sui declarationem ab historico enixe flagitant, hoc tamen monendi institutum, si non plane repudiant, at parum saltem curant. » Equidem," inquit Borgerus (1), » ut dicam, quod sentio, ut istam sedu- » litatem non prorsus asperner, ita non magnopere » desiderem. Qui enim virtutem et vitium, sapien- » tiam et stultitiam tamquam in scena spectat, ita » autem abiectus atque perditus est, ut eorum ad- » spectu aut neutram in partem moveatur, aut et- » iam, quae recta sint, iis prava anteponat, eius » est, medius fidius, desperanda salus. De humano » autem genere ita me bene existimare fateor, ut

---

(1) L. l. p. 73 sq.

»omnium animis et nequitiae odium et igniculos »seminaque virtutum ab ipsa esse natura ingenerata »putem. Cuius beneficii, divinitus in nos collati, »hoc esse magno argumento debet, quod frigere so»lemus ad orationem eorum, qui, cum in quapiam »re quid laudandum vituperandumve sit, ostende»rint, tum eam sic animis nostris admovent, ut aut »ad eiusdem nos rei studium hortentur, aut avo»cent ab ea et deterreant. Quorum vocem prom»tius profecto et alacrius exaudiremus, nisi super»vacaneam existimaremus admonitionem humanam, »cum mentibus nostris insitam haberemus atque in»sculptam legem divinam. Neque illud praetermit»tendum est, quod in historia tanta est rerum mul»titudo et varietas, ut si quis auctor quavis scri»ptionis suae parte, quid expetendum quid fugien»dum sit, lectores edocere voluerit, is potius Ora»tiones Sacras habiturus, quam res gestas narratu»rus, videatur."

Apposui ipsa Borgeri verba, quoniam neque plenius, neque elegantius dici haec posse arbitrabar. Nec, ut hanc de praesenti quaestione sententiam tuear, plura addenda videntur.

Sed animadvertendum est, exceptionem quandam hoc loco posuisse Borgerum. Dum enim, *quid* expetendum fugiendumve sit, historicum praecipere vetat, hoc tamen ab eo petit, ut *quatenus* talia exemplo esse debeant, brevi significatione declaret. Nam quum tanta sit inter varios populos variaque tempora legum, morum, institutorum diversitas, ut quod alibi pulcrum honestumque habeatur, id eodem consilio ac modo gestum alibi turpe et indecorum possit videri, sequitur nec quaevis bene gesta

aemulari, nec male quaelibet perpetrata fugere prudentis esse viri, nec in facti similitudine, sed in animi virtute imitationis laudem esse ponendam. Qua in re quum saepe ita fuisse peccatum acceperimus, ut multi, temporis ac loci ratione neglecta, scelestissima quaeque facinora falsa virtutis specie investirent: illud historico praecipit Borgerus (1), »ut doceat interdum, quae sit earum rerum, quas »narret, cum nostris moribus, institutis, tempori»bus coniunctio, quae discrepantia."

Tria sunt, quae huic disputationi respondenda esse arbitror. Ac primum quidem vereor, ne, si a scriptore postulemus, ut historiae fructus ad nostros mores referat, sic eum ad praesentem temporis locique conditionem nimis restringere videamur. Per ipsum enim illud postulatum hoc, ni fallor, sumitur, historicum suae tantum aetati suisque civibus scribere. Atqui ea est disciplinae historicae praestantia, ut non ad unam alteramve hominum partem pertineat, sed omnes omni loco et tempore eadem institutione complectatur. Ex quo sponte sequitur, hanc summam esse scriptoris laudem, ut non unius aetatis, neque unius populi, sed omnium, quotquot ubique futuri sunt, inserviat utilitati. Fateor rem esse difficillimam, cuique vix a quoquam homine plene possit satisfieri. Sed ubi agitur de eo, quid sit optimum, quaerendum minime est, quam sit difficile ad eam rem pervenire, sed hoc unice, quo sit perveniendum.

Alterum, quod reponendum habeo, hoc est, quod nullum video lectorum genus, cui peculiare

(1) L. l. p. 75.

istiusmodi praeceptum multum afferet emolumenti. Prudentiores enim scriptoris admonitione non indigent, utpote qui ipsi cogitare et rerum naturam distinguere soleant, quod nisi facerent, prudentiae laude non fruerentur. At mediocris ingenii lectores fortasse per eam admonitionem ab errore cavebunt? Dubito equidem, an qui ipsi de talibus rebus iudicare nequeant, in hac ab alio ipsis allata sapientia multum praesidii sint habituri, cum praesertim nullum efficax cuiquam esse possit ad virtutem incitamentum, nisi quod ex intimo ipsius sensu oriatur.

Sed latius pertinet tertium argumentum, quod eiusmodi est, ut ad totam hanc de pragmatica ratione disputationem sit referendum. Versatur enim hoc argumentum in ipsa illa, de qua saepe iam dictum est, historiae utilitate. Quae si in eo consisteret, ut, ad singula facta attendentes, haec fugere, illa imitari disceremus, recte fortasse se haberet illud, de quo agimus, scribendi genus. Sed maius quid spectat historia, et gravius, et tali disciplina dignius. Non enim instituit ad certos aliquos casus, qui evenire possint, sed ad vitam universam; non hunc docet aut alium quendam recte agendi modum, sed totum animum ea imbuit virtute, quae una est semperque sibi constans. Nec quisquam veros historiae fructus percepisse dicatur, nisi cui ex toto rerum ante actarum ambitu omnia in eundem finem tetenderint, hunc nempe, ut ad sapientiam informaretur. Quam sapientiam qui semel attigerit, is ad quemcumque vitae casum satis superque erit instructus. Consentaneum itaque est, ut historiae scriptor hanc summam disciplinae suae gravitatem latissimo ambitu complectatur, nec,

quod futilius est, in singulis particulis operose inhaereat.

Exposui causas, cur improbanda mihi visa sit huiusmodi ratio pragmatica. Neque tamen de istis rebus, ab historiae scriptione alienis, quemquam uberius disputare veto, aut singula philosophorum more expendere, modo hoc se agere profiteatur, neque historiam scribere, sed eam commentariis explicare prae se ferat. In ipsa enim rerum gestarum narratione tale quid ferri non posse existimo. Sed ea si ita instituatur, ut integram et illibatam cogitandi materiem habeant lectores, erit tamquam auri aut argenti fodina, quam quo altius quis ac diutius perscrutetur, eo ditiorem pretiosi metalli copiam eruet.

Quae hucusque de pragmatico scribendi genere disputavi, ea universe dicta sunt, a certis hominibus, locis, temporibus seiuncta ac separata. Ad Polybium autem si referantur, paratum erit nostrum de eius historia iudicium. Reprehendendus enim erit ob eam ipsam, quam secutus est, rationem, eoque gravius reprehendendus, quo liberius sibi in ea re indulserit. Sed aequitatis causa videndum est, an nullam habeat excusationem. Habet autem permagnam, eamque ex triplici causa repetendam, ex ipsius vita et animo, ex temporis, quo vivebat, conditione, et ex eo, qui tum invaluerat, historiae conscribendae more.

Quodsi ipsum Polybium spectamus, habemus virum, a scholae umbra et otio alienum, sed in hominum oculis, in sole et pulvere, ut aiunt, versatum. Nam, etiamsi multiplici cognitione egregie

erat instructus, huius tamen nullum videbat pretium, nisi ad agendi alacritatem referretur. Ad rem publicam itaque accessit, quam pro virili tueri et ornare primarium civis cuiusque officium existimabat. In eo autem vitae cursu hac usus est fortuna, ut in gravissimis domi forisque rebus et manu et consilio administrandis operam suam perpetuo collocare deberet. Quapropter, quum tandem ad historiam scribendam se accingeret, non poterat quin eam ubique ad praesentem legentium utilitatem adhiberet, eaque data opera explicaret, quae et politicis et belli ducibus imprimis profutura putabat. Ut enim ipse ex rerum gestarum memoria per totam vitam profecerat uberrime, ita, ut alii proficerent, praecipuum habebat scribendi consilium.

Et hoc ipsum requirebat ea, quae tunc temporis erat, civium suorum conditio. Gravissimis enim diu perculsa erat Graecia calamitatibus, donec tandem, amissa libertate, alieno imperio esset parendum. Quo communi patriae malo quum et civium vires exhaustae defecissent, et pristina concordiae vincula haud parum essent laxata, hinc factum est, ut animos cuncti desponderent. Itaque praesidio aliquo ac solatio indigebant, idque ex historia optime peti posse Polybius intelligebat. Sed cavendum erat, ne aequales, ut erant mentibus afflicti et recentium malorum cogitatione repleti, sterilem in historia operam ponerent. Cavit hoc revera Polybius, et ita quidem, ut in illo rerum narrandarum cursu iis tamquam ducem se praeberet. Sic enim fore sperabat, ut optime et animis recrearentur et ad saniora consilia erigerentur.

Sed cogitanda est praeterea historiae conscriben-

dae ratio, quae illa aetate florebat. Haec enim, ut supra vidimus, rhetorum artibus iamdudum erat corrupta, eaque corruptela plurimorum scriptorum auctoritate tam altas egerat radices, ut a plerisque pro laude haberetur. Neque igitur facili labore, neque cum hominum voluptate ad priscam simplicitatem reduci historia potuisset, sed ipsum illud de rebus narratis disserendi institutum ab historico postulabatur. Polybius itaque quum ad eam normam sic fere esset adstrictus, quid fecit? Itane ad priorum exemplum se composuit, ut nihil quidquam ab iis sit diversus? Minime vero. Sed hunc ipsum, quo uti necesse erat, commentandi morem ad rectae rationis legem revocavit, eoque modo constituit, non inane quoddam eloquentiae spectaculum, sed plenam prudentiae virtutisque officinam. Unde tantum abest, ut graviter culpandus esse videatur, ut salutarem potius historiae medicinam attulisse dicendus sit.

Alia quoque res est, quae si excusationis loco afferri non potest, at efficit tamen, ut iste rationis pragmaticae usus Polybio facilius concedatur. Hic enim, quum magna cognitionis ubertate floreret, eam hac ipsa scribendi ratione in libros suos ita effudit, ut ditissimum bonarum rerum thesaurum conderet, nostra imprimis aetate magni faciendum. Quot enim sunt quantaeque res, quarum sine Polybio ne levem quidem gustum aliquem haberemus, quasque nunc et plene et accurate intelligimus. Quam bene illorum temporum indolem cogitandique genus, scientiae politicae naturam artisque bellicae rationem ex uno Polybio cognoscimus. Quam multa hic de variis historicis memoriae mandavit, de qui-

bus tenuiora sunt aliorum testimonia. Unde apparet, ex ipso illo, quem secutus est, scribendi more, quantumvis ab historia alieno et reprehensione digno, insignia tamen nobis ad literarum studia profecta esse emolumenta. Hac igitur et aliis ex partibus sua laude floreat Polybius, at habeat neminem, qui ipsius norma in historiae scriptione utatur.

Sectio II.

RATIO POLYBII PRAGMATICA CUM PRIORUM RATIONE COMPARATUR.

§ 1.

Herodoti.

Post ea, quae supra de toto hoc historiae scribendae genere fusius sunt explicata, in hac, quam aggredior, comparatione brevis esse potero. Quicumque enim pragmaticam Polybii rationem improbandam esse censet, ob eamque causam auctorem reprehendit, is non potest quin Polybio praeferat historicos, qui ea ratione usi non sint. Quod ipsum nunc de Herodoto statuendum videtur. Hic enim Polybium in eo superavit, quod unico narrandi officio fuit contentus, neque se ipse historiae plus iusto immiscuit. Quod tamen non ita dico, ac si quavis ex parte Herodoto postponendus esset Polybius. Scribendi certe rationem secutus est haud ita rectam, sed gravitate rursus et facultate critica Herodotum post se reliquit. Hic enim iis vivebat temporibus,

quae vix sinebant, ut in factis historicis accurate perscrutandis sollicita opera poneretur; Polybius contra in media doctrinarum luce florebat, cumque ea, quae antea ingenio tantum et arte contineri existimarentur, ad severas scientiae leges traduci coepta essent. Quo factum est, ut, quum alter poetice fere in historia componenda versaretur, alter eruditi et philosophi munus susciperet. Et eatenus quidem recte suscepit, quatenus sic ad interiorem rerum investigationem procedens, historiae auctoritatem melius posset tueri. Sed hac ipsa in re iustos fines migravit Polybius, eamque industriam criticam, quae in Herodoto maior esse potuerat, ille supra modum extulit. Patet itaque in utriusque ratione inesse, quod merito vituperetur: in illa philosophandi studium, ab historico alienum; in hac poetarum morem, qui, ut pulcher sit et venustus, historiae tamen dignitati minus conveniat. Sed quum ex sola fere aetatis, quae cuiusque fuit, indole utraque ratio fluxerit, hoc simul apparet, culpam illam ab ipsis auctoribus maximam partem in temporum conditionem esse transferendam. Quoniam tamen Herodoti aetas nativo simplicitatis candore plene fruebatur, eaque simplicitas Polybii tempore tantum non plane interierat: potior hactenus fortuna Herodoto contigit, nam in simplicitate una in paucis eximia posita est historiae commendatio.

Quodsi autem ita, ut dixi, ab Herodoto superatus fuit Polybius, alia tamen ex parte communem habent, eumque insignem, laudis titulum. Uterque enim historiae componendae genus, quod suo tempore vigebat, sua scribendi ratione emendavit. Nam sicuti pater ille historiae, exili annalium ieiunitate

relicta, omnium primus plene et ornate de rebus gestis exposuit, ita Polybius pestilentem illam rhetoricorum in historia declamandi libidinem pragmatico suo scribendi genere, si non fregit, at coercuit tamen et ad sapientiae fructum traduxit. Unde iure statuere mihi videor, sicuti historiae auctor dicatur Herodotus, ita eius sospitatorem Polybium esse appellandum.

§ 2.

Thucydidis.

Iam nemini adhuc dubium fore credo, quin, instituta Polybium inter et Thucydidem comparatione, victoriae palma cedat Thucydidi. Hic enim, ut a pragmatica illius ratione alienissimus erat, ita ea etiam vitavit, quae in Herodoto reprehendenda videbantur. Iudicii facultate severe usus totam narrationem ita instituit, ut ad veram historiae dignitatem propius nihil accedere possit. Nam quum ante scribendum philosopha cum sagacitate singula exploravisset, rerum expositionem ita construxit ac concinnavit, ut, quae summa historici laus est, non scriptor, sed ipsa historia loqui videatur. Atque ita suo Thucydides exemplo luculenter ostendit, quod supra contendebam, historiam, ut oportere, ita posse etiam eo modo scribi, ut vel sine auctoris admonitione ad prudentiae fructum referatur. Dici enim vix potest, qualis quantaque meditandi discendique ubertas e diligenti Thucydidis lectione possit hauriri, quamque efficax inde petatur ad sapientiam institutio. Neque enim separat res

ac partitur, ut ad peculiarem huius illiusve facti aut fugam aut imitationem lectores incendat, sed latissimum illum historiae campum uno adspectu clara in luce proponit, eoque modo hanc generalem ac constantem exercet vim, ut iudicii subtilitatem acuat, philosophiam excitet, virtutem promoveat (1). Quae verissima disciplinae historicae emolumenta, ut non nisi a gravi ac digno scriptore, qualis fuit Thucydides, rite traduntur, ita non nisi a lectoribus philosopha gravitate instructis recte percipi possunt. Itaque lente, accurate, prudenter, cumque assiduo proficiendi studio tractanda est et recolenda historia Thucydidea.

Iamque igitur facile apparet, quum germanam historiae indolem multo praestantius servaverit Thu-

---

(1) Apponere lubet quae de Thucydide et Machiavellio praeclare scripsit Gervinus, *Grundzüge der Historik*, p. 75: »In »den Werken dieser Geschichtschreiber wird sich der sinnige »Leser immer auf historischem Boden, in der wahren wirklichen »Welt finden, er wird aber weder ächt philosophischen Gehalt »noch ächt künstlerische Form und die Wirkung eines Kunstwerks »vermissen. Er wird den Nutzen, der aus dem einzelnen Facti- »schen zu ziehen ist, für nichts anschlagen gegen den Eindruck, »den diese Werke als Ganze machen. Sie wirken nicht auf den »Verstand allein, der überall trennt und theilt, sondern auf das »Gemüth, das überall Eins ist; sie reden nicht zu einzelnen Stim- »mungen, Leidenschaften, Empfindungen, sondern zu dem ganzen »Menschen auf einmal; sie gewinnen ihn nicht für diese oder »jene That, sondern sie erheben ihn auf einmal zu kräftigem »Entschlusse und Willen überhaupt; sie lehren weniger das Er- »zählte benutzen, als den Erzählern nachstreben, die mit reiner »männlicher Gesinnung die Welt beurtheilen und mit gesundem »Blicke überschauen." Adde quae non minus egregie de Thucydide scripsit Ulrici l. l. p. 42.

cydides, quam servavit Polybius, nec minus tamen posteris egregie consuluerit, haud dubie illum Polybio longe esse praeferendum. Equidem certe, ut dicam quod sentio, tanti facio Thucydidem, ut, in hac saltem scribendi parte, haud sciam an omnium, qui umquam fuerunt, historicorum, nullus eo excellentior sit habendus.

§ 3.

Xenophontis.

Videamus de Xenophonte, tertio et ultimo auctore, in quo floruit sanus et incorruptus historiae Graecae color. Huius autem laudes in praesenti quaestione ad Thucydideas proxime accedunt. Quam enim historiae conscribendae rationem graviter ac cum maiestate Thucydides tenuit, eandem elegantia Xenophon et simplicitate ornavit. Rerum quippe enarrationem unicum historici officium esse arbitratus, hoc se termino continuit, neque disertis de suo disputationibus alieno loco indulsit. At rerum causas et effectus ipso narrationis cursu manifeste ostendit, nec minus quid laude dignum sit et imitatione, quid reprehendendum, quid vitandum, studiosis lectoribus perspicue indicat. Etsi enim propositum hoc Xenophonti fuisse novimus, ut virtutis commendationi historia sua inserviret, huic tamen consilio non ita satisfecit, ut ipse docere videretur, sed diligentem considerationem a lectoribus suo Marte instituendam longe praestare existimabat. Quod quoniam supra fusius est explicatum, nunc obiter attigisse satis erit, unde appareat, iure a no-

bis Polybio Xenophontem quoque anteponi, utpote qui meliorem in historiae scriptione viam secutus sit.

Ne quis autem obiiciat, si de hoc scribendi genere agatur, minus plene de Xenophonte posse iudicari, qui veram historiam composuisse dici nequeat. Anabasin enim non nisi rerum ab uno homine unoque exercitu gestarum commentarios complecti; Hellenica vero opus suis numeris absolutum appellari non posse, quod primis tantum lineis sit adumbratum. Neque igitur ex hisce libris, quamnam historiae conscribendae rationem probaverit Xenophon, satis accurate cognosci. Fatendum est, verae historiae titulum libris Xenophonteis aliquatenus posse denegari, neque tamen hinc statim efficiendum, eos libros, qua fuerit scribendi consuetudine, minus declarare. Nequaquam enim dubitandum est, si vel universam Graeciae historiam omni cura elaborare Xenophon voluisset, quin eandem, quam in his tenuit, in illo opere rationem fuisset secuturus.

Et dolendum sane est, eiusmodi maioris momenti consilium a Xenophonte non fuisse agitatum ac perfectum. Quod si fecisset, cum ipso Thucydide de victoria certare potuisse credibile est. At nunc quoque scriptis suis historicis de posteritate egregie meruit, et dignum locum occupat in hoc nobilissimo triumviratu, qui tanto historiam splendore ornavit, quantus postea nec servari, nec vel ab ipso Polybio, ut ut multis nominibus praeclaro scriptore, instaurari potuit.

§ 4.

Minorum quorundam, vel ex quorum scriptis pauca tantum supersunt.

Ut in horum illustrium triumvirorum laudis societatem pervenire non potuit Polybius, ita posteriores quosque ad suam usque aetatem longe superavit. Quum enim hi omnes, quotquot fuerunt, e rhetorum scholis profecti, oratorio more in historia scribenda luxuriarentur, et in laudando ac reprobando nimii, ad effusam disserendi licentiam frequenter excurrerent, ipsam fere historiae dignitatem specioso eloquentiae fuco posthabuisse videntur. Nemo igitur non videt, gravissima eos reprehensione teneri. Neque enim Timaeus aut Phylarchus vel in primario historici munere, quod in fida rerum expositione versatur, satis curae collocasse dicendi sunt. Siquidem certe ex tenuibus, quae supersunt, indiciis, iudicare liceat, alterum invidiosius in vituperia divagatum fuisse, alterum ex verborum ostentatione inanem gloriolam captasse dixeris. Potiores sine dubio fuerunt Ephorus et Theopompus, at ne hi quidem Polybium aequiparantes. Ut enim historiae auctoritatem maiori cura quam ii, quos modo dicebam, tuiti sint, at rhetorici partes cum historici officio nimis arcte coniunxerunt, neque tamen ea re utile quidquam aut salutare praestiterunt. Nullum enim habebant certum consilium, quo istiusmodi digressionibus ita saepe uterentur, nisi quod in hoc ipso exspatiandi negotio mirifice sibi placerent. Sed illud in Polybio longe aliter sese habet. Hic enim eam rem, cuius usum vitare non poterat, quum

minus probanda esse videretur, ita immutavit et correxit, ut novum inde eliceret emolumentum. Has ipsas igitur in historia digressiones, quae rhetorum consuetudine invaluerant, prudentiae institutrices esse iussit, eoque proposito eas critica potius severitate, quam verborum sono commendavit. Sed ea, de quibus supra uberius dictum est, nunc repetere nihil attinet. Itaque hoc unice monuisse sufficiat, quantum verba rebus cedant, tanto illos historicos Polybio fuisse inferiores.

Reliquum est ut paucis de Philisto videamus, qui in scriptoribus modo dictis comprehendi non poterat. Neque enim rhetorum mori obtemperavit, sed exemplum sibi, quod imitaretur, proposuit Thucydidem. Laudabile sane consilium, quodque si recte perfecisset, vel ipso Polybio maior fuisset. At mediocris homo ingenii in maiestatem Thucydideam assurgere non potuit, sed tanto ab eo distabat intervallo, quanto aut a viro puer, aut a docto magistro rudis discipulus. Quo fit ut, etiamsi eius scribendi ratio Polybianae fuerit praeferenda, tamen ipse, si conferri cum Polybio debeat, tanti viri laudibus nihil detrimenti sit allaturus.

X.

Prima et secunda persona pluralis perfecti coniunctivi in verbis Latinis, perperam pronuntiari solent correpta penultima, ut dicatur *amaverĭmus*, *legerĭtis* cet. Romani eam syllabam producebant itaque dicebant *amaverīmus*, *legerītis* cet.

XI.

Quamquam a priori naturae consentaneum est, ut singulae literae et literarum coniunctiones certam aliquam habeant vim et significationem, ab ipsis loquelae instrumentis constitutam; idque in lingua nostra compluribus exemplis potest commendari, ut specie verissimum esse videatur: tamen doctrina etymologica, linguarum saltem Indo-Germanicarum, quatenus hodieque exculta est, nondum sinit ut de ea re certi quid pronuntietur.

XII.

Nulla res est, qua etymologi nostro tempore tantum conferre possint in doctrinae suae emolumentum, quam ut 1° instituta plena inter variarum linguarum voces comparatione, accurate definiant, quae cuiusque literae quibus literis aliarum linguarum respondeant; 2° quae sit singularum diversis locis pronuntiatio, quam subtilissime constituant.

XIII.

Falsa est eorum sententia, qui statuunt, linguam Sanscritam nondum adeo esse excultam, ut certum praebeat fundamentum, cui disquisitiones etymologicae superstruantur.

XIV.

Qui in edendis scriptis antiquis Neerlandicis; a codicum auctoritate discedentes, certam aliquam orthographiam sequuntur, ipsi illi studio grammatico, cui prodesse cupiunt, graviter nocent.

XV.

Poema Neerlandicum, quod inscribitur *die Dietsche Doctrinale*, e Latino exemplo conversum est.

XVI.

Maerlantius genuinum poeseos Neerlandicae colorem suo exemplo et auctoritate corrupit.

XVII.

Philippus, primus e gente Burgundica Hollandiae Comes, *Boni* cognomine ornatus est propter morum comitatem, qua prae duro et superbo patre se commendabat.

XVIII.

Quod Hollandiae proceres Philippo Pulcro, Magnum Mariae Privilegium abroganti, assensum praebuerunt, servili imprimis Cabeliaviorum ingenio tribuendum est.

XIX.

Oldenbarneveldius in coercendis ecclesiasticis Gulielmi I exemplum secutus est.

XX.

Quamquam Hollandiae proceres in Leicestrium eiusque fautores nonnumquam iniquiores fuerunt,

magnopere tamen laudanda est illorum et praesertim Oldenbarneveldii constantia, qua cautum est, ne res publica, Hispanorum tyrannide liberata, Anglorum dominationi subiiceretur.

XXI.

Fredericus Henricus, multis ceteroquin nominibus laudandus princeps, in gravem et rei publicae noxium errorem incidit, quum a°. 1635 auctor fuit foederis cum Franciae rege condendi, quo vires ad occupandum Belgium coniungerent, nec utrique parti liceret sine alterius consensu pacem vel adeo inducias cum hostibus inire.

